E.3o.T.A.

Pasò al de
Prohividos. T. E

Exp — 23
Leg — 63

[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible]

Prohibido en el suplem. del
expurg. de 1707.

Est. 30. Tab. A

hoy

En el Est. de Prohibidos Tab. E.

RESPONSUM
ANT-APOLOGETICUM
ECCLESIÆ CATHOLICÆ
CONTRA CALUMNIOSAS BLASPHEMIAS
JOANNIS FRANCISCI BUDDEI nomine evulgatas
IN ORTHODOXOS LATINOS ET GRÆCOS;

QUO,

PETRÆ FIDEI

A

STEPHANO JAVORSKIO
RESANENSI METROPOLITA, &c.
Ad evertendum LUTHERI Pantheon jactæ, repetitur ictus.
Datum ad omnes Fideles,

ET SERENISSIMÆ ALTISSIMÆ & POTENTISSIMÆ

DOMINÆ

ANNÆ JOANNOWNÆ
TOTIUS RUSSIÆ

IMPERATRICI, &c. &c. &c.
DICATUM

Pro Em.mo S.R.E. Cardinali Protec-
tori Hispaniae Belluga.



A

R.P. Fr. BERNARDO RIBERA BARCHINONENSI,
ex Ord. Præd. Sacræ Th. D. & Regio Prof. Publ. apud Excel. D. Ducem de Liria, &c. Catholici Hyspaniarum Regis Legatum in Russiam, Missionario Apostolico, &c.

VIENNÆ, Typis Mariæ Theresiæ Voigtin Viduæ, Univ. Typogr. 1731.

SERENISSIMÆ, ALTISSIMÆ, ET POTENTISSIMÆ
DOMINÆ
ANNÆ JOANNOWNÆ
DIVINA GRATIA TOTIUS RUSSIÆ
IMPERATRICI &c. &c. &c.
Serenissima Altissima & Potentissima
DOMINA.



Aria etsi post infortuniorum discrimina, meam nunquam dolebo sortem, ex quo Legatione Catholici Hispaniarum Regis in Rußiam functurus Dux de Liria, me, sacris domesticis ministraturum, tituloque Mißionarii Apostolici ad hunc finem munitum, elegit; sub cujus umbrâ, florentißimum jam Ruthenum Imperium famam virtute vicisse, oculari observatione compererim. Invenisse, istud, Mulierem *illam* fortem, (a) *non aliundè quæsitam, sed è* Curlandiæ *Ducatu revocandam ad propria, inimici jam norunt, qui forsán latentes non desunt, à temporalibus tamen bellis* Russiam *quiescere sinunt. Rebus igitur Ruthenæ Ecclesiæ indagandis, sicut Monachum decet, primorum ipsius Prælatorum familiaritate concessâ, non parum sollicitus, specialem, circa* Catecheticam Confessionem, *ex ab eisdem, tum responsis, tum rescriptis, semipara um tractatulum (alibi, Deo dante, complendum) inceperam: cum ecce, pace temporali haud turbatâ, Fidei orthodoxæ hostis (nec certê unicus) arma*

mo-

(a) Prov. 31.

movet in Ecclesiam; *nedum* Ruthenam, *quia* suscitaverit *Deus in eà* Sacerdotem fidelem, (b) *Illust. quondam* Stephanum Javorskium, Metropolitam Resanensem, Throni Patriarchalis Moskuensis Exarcham, *in suo* Petræ Fidei *opere*; *Sed & in* Romanam, *cui, ex univocatione dogmatum, supponit Prælatum illum addictum. Discrepantiunculas, eâpropter, inter nos deflendas (facillimè, bono animo si tractarentur, eliminandas) intermittere resolvi, ut Ruthenis quamplurimis ad hoc instantibus Præsulibus obsequuturus, communi huic, Lutheri nomine, Ecclesiæ hosti, Orthodoxum responsum opponerem; quo, à Græcis, & à Latinis sustentatum contra se videat Lutherana cohors commune bellum. Ex vicinitate, cavendam hanc noverant pestim*; Petrus Mogilas, Kioviæ; Adrianusque Patriarcha, Moskuæ; *quorum zelum imitatus, imò supergressus laudandus* Javorskius, *addenda decrevit & pharmaca, quia ipsum non latuit indefessa Lutheranorum, inficiendo Rutheno populo, sollicitudo; quæ ex tunc, Minervalium divendendarum mercium titulo, errorum figere non cessat venenata tela. Noviter, opertâ Buddei nomine facie, contra Ruthenos, simulque Latinos & Græcos Orthodoxos cunctos, idem, scriptis repetiére quidam, proximiores ut credo; quos vocare liceat*: Fabricatores mendacii, & cultores perversorũ dogmatum; atque utinam tacerent, ut putarentur esse sapientes. (c) *Horum, quia quosdam audivi quasi etherodoxiæ triumphum canentes* Moskuæ, *opusculum*

(b) 1. Reg. 2. 35. (c) Job. 13. 4.

culum hoc citiùs perfecturus, tandem, ob nostrum hinc cum prædicto Legato discessum, in fine acceleran-dum, complevi in ipso nostri abitus pervigilio: de-scriptumque exemplar Moskuæ relinquens, eruditi viri cujusdam, ex Latino Ruthenam dispostituri ver-sionem, pietati satisfeci. Partum itaque hunc te-nuitatis meæ, tanquam jure sibi debitum, supra-nominato Duci de Liria Legato cum privatim obtulerim, Imp. V. Majestati dicare mihi im-posuit; cujus protectione fretus, libentissimê, pedi-bus V. Imp. Celsitudinis ipse quoque demittor, sperans ex notá V. Imp. Majestatis pietate non spernendum opus licet tenuissimum, ex ejusdem necnon benignitate patrocinandum authorem; cujus scopus defendenda fi-des fuerit, lausque soli DEO quærenda. Si V. Imp. Majestati non ingratum munus obtulerim, etiam ex aliis terræ finibus non cessabit calamus, insurgat si ali-us etherodoxus contra Ecclesiæ Ruthenæ cum Latinis communia dogmata, sicut de quodam Calvinistá futu-rum audio. Cunctis (Serenissima Domina) vera fi-des præscribitur; sed ultra, hujus defensio Christianis Imperantibus commendatur: ut, qui in moderando sceptro fidem sibi datam expetunt subditorum, repetito jure, nedum immortali Regum Regi debitam servent, sed & contingentia in subditis, contra eandem obsta-cula, zelo Religioso compescant. (d) Fidelis Domi-nus in omnibus verbis suis, *fideles nos vult in saná illá fide, quam à DEO infusam, retinendam, regenera-ti spopondimus: quamque sicut sustinendam omnes*

pro-

(d) Psal. 144. 14.

promisimus, tuendam Christiani Principes jurant; cujus obligationis gestat V. Imp. Majestas in Coroná ipsâ Chyrographum, Orbi suprapositá Cruce, cujus gloria sit prima diadematis cura. Huic cingendo cum Te Deus elegit, aderam Moskuæ; *interque universi populi plausus, qui Monarchiam in Te imminui nec permiserat, non sine ædificatione omnium, sola visa es, profusis lachrimis, Sacræ coronationis & unctionis Ceremoniæ Ritum perficere; tanquam, quæ DEO ipsi, quem Tibi committebat populum, recommendares. Triumphalem indè à prædicto Legato Hispaniæ erectum, nunquam ut par erat celebrando tunc festo, biformem fornicem, recolo: in quo utriusque Divini Testamenti oraculum repræsentabat fœlix quod sperabatur Imperium . .* Mulier *illa Evangelica, ex uno videbatur prospectu;* (e) *quæ supremi Dominii* Drachmam, *non deperditam, sed nonnullorum conatu nec traditam,* everritá domo, *in animis sic volentium populorum* inveniens, *sibi* congratulaturos *vocabat: pluris æstimandam igitur fidei drachmam servatura Ecclesia, everrendæ DEI domui, seu potiùs non inquinandæ Lutheranis sordibus, æquê adlaboraturam desiderat, cui de Imperio temporali congaudet . .* (f) Debboram *proponebat prospectus alter, in throno palmis jam referto, populo Præfectam* (g) in omne judicium: *quæ præcedenti* Samgar *brevißimê Imperanti succedens, ad populi incrementum nil reliquit dolendum. Mortuo itaque altero* (h) Barac *in* Javorskio, *ejusdem supersunt, in elaboratá per ipsum Petrá fidei, arma: sed victoria contra* Sisaram re-

(e) Luc. 15. 8. 9. (f) Judic. 4. 5. (g) Judic. 3. 31. (h) Ibid. c. 4.

reputabitur fœminæ, *quæ, judicatura populum, clavum Reipublicæ,* Jahele *fortior, tenet in sceptro, ut cerebrosos quosvis etherodoxos confodiat. Pugnabunt Ruthenæ Ecclesiæ Prælati in hujusmodi homines, ceu* (i) Stellæ in ordine suo manentes, *sparsis illuminantis doctrinæ radiis; protectus tamen fidelis DEI populus V. Imp. Majestatis temporali Regimine, fœminæ eidem componet dramata laudis, cujus ope, victoriam canet reportatam ab hostibus.*

Opusculo tandem (Serenissima Domina) illudque offerenti, Protectionem Imperialem Benigna nê subtrahas, quá, etiam ex Hispaniá, tibi obsequentissimum calamum hunc, meque ipsum exerceas. Faxit DEUS, ut communibus inimicis devictis, per Te quoque univocarentur Ecclesiæ, quæ ferè idem in fide credendum proponunt: audiremusque Hispani sonum *Apostolicum, qui* (k) exivit in omnem terram, in fines, *saltim Europæi,* Orbis, *per verba eadem resonantem. Vale; & bono Ecclesiæ, ac Imperii, in sæcula fœlix vive.*

(i) Judic. 5. 20. (k) Psal. 18. 5.

Serenissima Altissima & Potentissima
IMPERATRIX

Imperialibus V. Majestatis plantis provolutus Servus.

FRATER BERNARDUS RIBERA.

Vidi, & attente relegi præsens Opusculum, cui titulus: *Responsum Ant-Apologeticum Ecclesiæ Cathol. contra calumniosas blasphemias Joannis Francisci Buddei nomine evulgatas* &c. Ab *Adm. R. P. Bernardo Ribera*. Ord. nostri Præd. SS. Th: Doct. Professore & Missionar. Apost. Solidê elaboratum; in quo clarissimus author, ad exemplum Angelici Doctoris nostri D. Thomæ Aquin., Hœterodoxi Apologistæ tela adversus Orthodoxæ Fidei nostræ Catholica dogmata militantia, tam felicitér, quam fortitér eludit, & veluti Fidelis Domini Canis, Ecclesiam Cathol. vigilanter defendit: neque enim in hoc Opusculo quidquam reperi, quod veræ fidei, aut moribus adversetur, ut proindé illud judicem luce publicâ dignissimum. In cujus fidem, subscripsi. Viennæ in Conv. Præd. apud S. Mariam Rotundam. Die 10. Feb. Anno 1731.

Fr. CYRILLUS RIGA, Ord. Præd. S. Th. Mag. ejusdemq; in Univ. Viennen. Doct. Prof. Prim. & Senior Consistor. Eminentisimi & Celsissimi S. R. E. Card. à Kollonitz Inquisit. Gen. Hyspan. Consultor; & Qualificator S. Gener. Inquisitionis.

APPROBATIO FACULTATIS THEOLOGIÆ.

Ego infrascriptus, Opuscul. hoc à suo Authore *A. R. P. Bernardo Ribera* Ord. Præd. SS. Theol. Doct. Prof. & Mission. Apost. Solidê elaboratum, ac *Responsum Ant-Apologet.* &c. intitulatum; uti & ab Adm. R. P. Cyrillo Riga. Ord. Præd. SS.Th. Mag. ejusd. in Univ. Vien. D. ac Prim. Prof. ac Seniore Consistor. nec non Em. ac Cels. S. R. E. Card. à Kollonitz. Inquisit. Gen. Hispan. Consultore & Qualif. S. Gen. Inquis, adjecto suo de Revisione Authent. testimonio roboratum, vi muneris mei approbo, & typis edendum censeo. Si ita & videbitur Rev. Peril. ac Magn. D. Univ. Rectori. Datum ex Canoniâ Viennæ ad S. Dorotheam. Sub 11. Febr. An. 1731.

JOSEHUS ROSNER. Can. Reg. S. Aug. ad S. Doroth. Prof. ibidemque Cancellariæ Præfect. SS. Th. D. & p. t. Inclytæ Facult. Theol. Decanus.

Imprimatur.

PETRUS SAVOY SS. Th. Doct. Canon. ad S. Steph. Univ. Vien. Rector.

Corigenda ; & Addenda.

Pag. 28. lin. 6. & 31. hæretificos. Lege, hæretifices - - pag. 109. 5. *ut.* l. *aut* - - p. 133. 20. erubescamus. l. non erubescamus - - p. 164. 21. quæ l. quas - - - p. 174. 8. usque l. utque - - p. 188. 19. *eruc* l. *cruce.* - -

Ad pag. 146. lin. 9. addo; jam publicata esse exemplaria *Nomenclaturæ Boanergicæ*. vero Regi Angliæ *Jacobo*. 3. dicatæ, typis data *Petropoli*, quæ antehâc ferê biennio occulta, pluribi legentur sparsa.

Ad pag. 154. lin. 9. addo; notandos Authores plures, probantes, Synod. *Illiberitanam* (aliis *Elibertinam*) in civitate Cathaloniæ *Illiberis*, ad radicem Pyrenæi montis sita (vulgo hodie *Cohlliura*) celebratam. Authores hos, inter Ruthenos me non invenisse, fateor, & nemo mirabitur. Productus est *Pujades, Chron. de Cataluña* (locus nunc datur) lib. 5. c. 2. - - Item suffragantur, *Illescas* lib. 2. c. 1. *Joan. Vasseus* lib. 1. c. 20. *Episcopus Gerunden.* in *Paralipomenon Hispaniæ*. lib. 1. *S. an terra Rossilionis sit Hispania?* Efficaciûsque cunctis, *Stephanus Garibay* lib. 7. cap. 48. Plures omittuntur.

SECTIO I.

INterfectô Goliath, non quievisse 1.
Israelem, Divina prodit historia; dum regnante Davide post Saülis necem, (a) *aliud quoque bellum gestum est adversus Philistæos, in quo percussit Adeo-datus filius saltûs Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi*; (quem alterum (b) *Goliath Gethæum* legimus alibi, *cujus hastile erat quasi liciatorium texentium*, quíque prostratô primô, æquè è Gigantæo genere *Rapha*, Philistæis successit præsidiô) (c) *Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, (vir excelsus) qui senos in manibus, pedibúsque habebat digitos, de eadem origine Arapha. Et blasphemavit Israel; percussit autem eum Jonathan, filius Samaä fratris David.*

Quidnî, militatura usque ad Antichristi tempus 2.
Ecclesia Christi, novos quotidie inimicos sentiat, qui nec præcedentium periculis cauti, nec prædicta (d) *inferi imbecillitate* ignavi, prævalere in Christi Sponsam attentent? Hanc in veri Salomonis thalamo, (e) *sexaginta fortes ambiunt -- omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; sed, uniuscujusque ensis super fæmur suum, propter timores nocturnos:* non desinet quippe tenebrarum potestas, calcatis per sacros Doctores antiquis, novos hæreticos substituere; quorum falcato Verbi Dei per ipsos gladio, rectum vibrantes sermonem, obsistant Sponsæ illius custodes, ceu (f) *gladium ex utraque parte acutum*; aut (h) *vivum,*

(a) 1. Paral. 20. 5. (b) 2. Reg. 21. 19. (c) ibid. utrobique v. 20. & v. 6.
(d) Math. 16. 18. (e) Cant. 3. 7. (f) Apoc. 1. 16. - 19. 15. (g) Hebr. 4. 12.

vum, & efficacem ſermonem Dei, omni ancipiti gladiô penetrabiliorem: diſcretorem cogitationum, & intentionum cordis. Tolerandi igitur hoſtes ſunt, haud timendi; inevitabilis eſt hæc pugna, ſed acuit triumphaturos certa victoria: (h) *ordinata* ſiquidem *caſtrorum acies* militans eſt in via *terribilis*, quatenus eadem in Patria quieſcet ſinè fine triumphans. An ſi novus inſurgat *Goliath*, nec *David* jam pugnet, defecturus eſt Dei populo *Adeo-datus* aliquis prævalens? Imò ſi plures (i) *audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blasphemantes*, *Angelos* habebimus *fortitudine, & virtute, majores - - Illi verò, velut irrationabilia pecora - - in corruptione ſua peribunt.* Exurgat, permittente Deo, *Senos* putans ſe habere *digitos*, reſurgat *Centi-manus*, prodeat totus inferorum Centiceps Hydrus; nobiſcum erit manus Domini; & quid manus? (k) *Digitus DEI eſt hìc*, victi fatebuntur *malefici*: (l) *In digito Dei, dæmonia ejici* ſcimus, *ex quo, pervenit in nos regnum* Dei: aderit nobis non *Jonathan*, ſed interpretatum (m) *Dei donum*, Dei ſpiritus, in cujus ſolemnitate cùm hæc ſcribere incipio, audio cani: (n) *dexteræ Dei tu digitus*: cujus vi roborati orthodoxi cæteros ſupervincant.

3. Jámque ad prælium accingendus, invocatô Dei nomine, quæram inimicum; quem, etſi jam emortui *Joannis Franciſci Buddei* adſumptô nomine, larvatum credo; imò pluribus ſtipatum ſociis, quorum conſiliô, & opere, ferire tentat manus nulli conſpicua, rimor virum alium, qui mutatô factorum ordine tenetur, *vocibus* (o) *Jacob* ſe fingere, audens *Eſaü manibus*, ſcriptis dimicare. Sed quid ad præſens, ſi inimicum Deum non latentem noſcamus? tantùm in ipſum arma vertantur, ut alium, vel *Buddeum* eun-

(h) Cant. 6. 9. (i) 2. Petr. 2. 10. 11. 12. (k) Exod. 8. 19. (l) Luc. 11. 20. (m) Ex interpr. Bibl. v. *Jonathas*. (n) Eccl. Lat. in hymno Pentecoſtes ad Tertiam. (o) Gen. 27. 22.

eundem reſurgentem ſe ſimulet, reſcripturus, licèt ſemel victus; apertum quem inimicum videre non pudor; ſed rerum ipſius detrimentum ſequendum impediet.

Lapide, ſeu *Petrâ fidei*, fundibularius *Paſtor*, *Reſa-* 4.
nenſis & *Muromienſis Metropolita*, *Stephanus Javorskius*, novum *Goliath*, *Lutherum*, ejúsque viperinam in *Calvino* prolem enecans, ovésque Chriſti in ipſa Petra, ſale ſapientiæ paſcens, *quaſi petra ſalis*, fuit (juxta (p) *S. Gregorij* Papæ monitum) *ſacerdos in populis*: (q) *computatúsque unus pro decem millibus*, unô ictu plusquam (r) *decem millia percuſſit*, truncatô & Acephalô Lutheranorum corpore; tantóque feliciùs Davide, ut relicta *Ruthenis* eâdem petrâ, non inermes eosdem conſtituat, ſed (s) *extinctâ lucernâ Iſraël*, armamentarium intra ſaxum iſtud incluſerit, quô Ruthena Eccleſia novorum Goliathum inſultus queat evanidos reddere, repetendáſque ſuccedentium ore in Sponſam Chriſti blaſphemias vindicare. Lucem aſpexit *Javorskii* opus, *Moskuæ*, annô 1728. prælô excuſum: quô etſi priorem *Goliath*, *Lutherum* inquam, aggreſſus, ejus vires fregerit, ecce jam novus ſequenti annô inſurrexit; heterodoxiâ Lutheri filius, malitiâ frater, blasphemiis ſimilis, animô idem; tanquam *Lutheranorum Bi-Deus*, ſumptô *Buddei* nomine, in quo & *Buddei* & *Lutheri* ſpiritus reviviſcunt. Hic *Moskuæ*, ùt credo, latens, plurimorum ibi degentiũ (exterorum ſcio, ſed Ruthenorum Procerũ, quos allegat, illum ad hoc moventium, etſi mendaciloquus aſſerat, nullius, ùt infrà oſtendam) cauſam acturus, relegavit *Jenæ* calamum: hôc nos ſecundò vocat ad pugnam; non tam Ruthenos, quàm Orthodoxos Latinos. *Adeo-Datus* ero, ſi hunc ſecundum *Goliath* interficiam, cujus nîl timeo haſtam. (t) *Si*

(p) S. Gregor. hom. 17. in cap. 10. Luc. (q) 2. Reg. 18. 3. (r) 1. Reg. 18. 8. (s) 2. Reg. 21. 17. (t) 2. Cor. 5. 13.

Si excedam, *Deo*, cujus Sponſæ caſtra ſequor: *Charitas enim Chriſti urget nos.* Putavit, credo, Author, quia in fronte libelli doctiſſimum *Javorskium* oppugnare offert, ſe à Latinis liberum; operi quoque contra Catholicos Latinos obtrectationibus ſcatenti, etſi dogmata Græcis nobiſcum orthodoxè communia oppugnanti, Ruthenorum neminem obſtiturum; ſed communi inimico indicendum commune bellum: licèt enim Græcos & Latinos aliqua ſciderit nubecula, diſſipabit eam potens ille (u) *Sol juſtitiæ, in cujus pennis eſt ſanitas; & egrediemur & ſaliemus ſicut vituli de armento* eodem: *& calcabimus impios, ac ſi fuerint cinis ſub planta pedum noſtrorum.* (*) Latini confutavimus *Arrium*, Græci rejecêre *Donatum*: hi *Pelagianiſmum* deteſtati ſunt, illi *Neſtorianiſmum* pariter & *Eutychianiſmum* propulſaverunt: ſimul *Monothelitas* damnârunt, *Iconomachos* anathematizaverunt: Quiſnam igitur, diviſis adhuc Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ cœtibus, heterodoxus in Græcia, recurſum habuit in Romana Eccleſia? quíſve à Latinis Orthodoxis proſcriptus, defenſores habuit Græcos? Soli *Iconomachi* in Græcia orti celebrantur inter Latinos corruptos paucos Lutheri hædulos, vitantur à cæteris Romanæ Eccleſiæ ovibus: imò *Ruthena Eccleſia* œcumenicum Concilium octavum, quô annô 869. Conſtantinopoli damnatus eſt *Photius* & depoſitus, non ſuſcipiens, ſed nec Conventum alium Græcorum (poſt decennium) *Photium* reintrudentem, amplectens; etſi Romanæ Eccleſiæ non addicta, nec Græcum *Photium* approbat, qui ſcindens Eccleſiam etiam Orientem diviſit; ſeptem priora inconcuſsè nobiſcum œcumenica cognoſcens, laudabiles, & ritum, & confeſſionem fidei Orientalium, ſervans, nec in cauſa diſſidii partem habuit, nec

(u) Malach. 4. 2. (*) recolantur per ſæcula ſuccedentes in Eccleſia hæreſes, tum à Græcis, tum à Latinis rejectæ apud Hiſtoriographos.

nec circa ſchiſmatis authores, ſynodicè quidquam decrevit; quidquid de ſingularium quorundam dictis, fingant *Lutherani*, (x) ut eis Latinos odioſos demonſtrent.

Quod ut clariùs pateat; miſsâ pro nunc radiatio- 5.
ne Evangelii per *Andream* Apoſtolum, ùt *Rutheni Annales* commemorant, aut per *Thadæum*, & *Bartholomæum*, (y) ùt alii ſcribunt, quin dicam (z) per Apoſtolum *Paulum*, prædicantem in *Myſia* (a) Aſiæ minoris Slavorum Provincia, ad quam *Andronicum* diſcipulum Chriſti antiquiorem à ſe recommendatum, (b) *Româ* remiſerit: nec negatâ præſentiâ *Salvi* Stridonenſis Pannoniæ Epiſcopi in Concilio *Nicæno* primo; ſicut conceſsâ ſubſcriptione *Antipatris Rhos*, ſeu *Rhoſſos* in quadam *Antiochena* Synodo, (cujus meminit Decret. *Gratiani* diſt. 16. cap. *ſexta Synodus*, probata poſtea in Concilio œcumen. 6. Conſtantinopol. apud *Caranz.* pag. mihi 55. ex Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 24. & 29.) circa an. 363. eundémque ſi fateamur nominatum in dictæ Synodi Epiſtola ad *Jovianum* directa (de qua Socrates lib. 3. cap. 29.) quæ omnia (ex Annalibus *Hungaricis Imhofer.* tom. 1. pag. 86. ad an. 870.) retulit noviſſimus *Gudmundus Krook.* (c) Nulli dubium eſt, ſi quendam permiſerimus in *Ruſſia*, ex perſonante in omnem terram Apoſtolorum voce, reſiduum Chriſtianum, viguiſſe *Ethniciſmum* generaliter, graſſante idololatriâ, fanis erectis, & aris publicis, ſimulachris non paucis adoratis, Primariô, *Peruni* dictô, cæteris minoris notæ, *Uslad*, *Corſa*, *Daſva*, *Striba*, *Simaergla*, *Macoſch*, *&c.* ùt refert *Sigiſmundus ab Herberſtein*, Legatus Germanicus, vel *Sigiſmundus Liber*, quô nomine prodierunt *Commentarii rerum Moſcovitic.* (d) aut ſi idola quæramus *Slavis* communia, plures ſuppeditâ-

 runt

(x) ap. Joann Schwabe. de relig. Moſc. diſc. prælim. 1. Krook. ſect. 1. cap. 4. & alii. (y) Miechow. Tr. de duab. Sarmat. lib. 2. c. 1. (z) Ghiſelius. Synopſ. hiſt. pag. 66. (a) Act. 16. 7. vid. ind. Geograph. Bibl. (b) Rom. 16. 7. (c) Krook. cit. ſect. 1, cap. 4. pag. 55. (d) Comment. rer. Moſcov. pag. 5.

runt *Molleri* in *Diatriba historico-critica : Innocentius Ghiselius*, & alii. (*) Lis est apud Authores, sub quo tempore, cæsis idolis, Russia Christo nomen dederit ? quibusdam nonô, quibusdam decimô sæculô contendentibus : horum discussis circumstantiis, componendos omnes judico cum citato *Krook* (e) quem tamen non approbabo in cunctis ; ut conjectem (quia demonstrari non potest) à quibus Græcis baptizati & edocti sint *Rutheni*, an à Photianis? ùt contendit *Possevinus ;* ánve ab aliis, qui Latinorum socii *Photianas* partes sequuti non essent? ùt nititur probare *Papebrochius*. (f) Et nè *Krook* citatus, & cum illo plures ejusdem odii in Catholicos, tam audacter pro *Photianorum* parte resolvat ; imò nec *Vejelius* in suo *tractatu de Ecclesia Græcanica hodierna*, ex tempore inferat Græcam Ecclesiam generaliter scissam à Romana (quia fortè non legerunt Eruditissimum Græcum *Nicolaum Comnenum Papadopoli Cretensem*, in *Prænotionibus Mystagogicis*, convincentem, adhuc post *Photii* tempora, perstans commune Ecclesiæ Græcæ & Latinæ suffragium, & refellentem acrimoniam *Photianorum*) siquidem Catholicorum scripta falsitatis accusant, Lutheranos sibi similes audiant in his quæ vera scripserunt.

6. Chronographus Ruthenorum *Nestor* (g) *Petrurski*. p. 1. & ex isto *Herbinius* (h) *de Chrypt. Kiov.* conversiones quinque Ruthenorum tradidêre : primam, per *Andream* Apostolum ; secundam, annô Chr. 863. sub Imperio Græco *Michaelis 3.* expulsô à Constantinopolitana sede *Ignatiô* per *Photium* ; (de qua apud scriptores cæteros nullum verbum) tertiam, circa Annum 880. Imperante *Basiliô 1. Macedone* ; quartam baptizatâ *Olha*, vel *Olga*, regnante pro

(*) omnes apud Krook. loc. cit. cap. 4. §. 1. (e) Krook. ibid. §. 4. (f) Papebr. præfat. ad Ephemer. Græco-Russicas. (g) apud Krook. ib. pag. 53. (h) cap. 3. pag. 16.

pro impubere filio *Igoris*, *Swiatoslav*, Constantinopoli, (sub Imperatore *Joan. 1. Zemisce*, scribunt Annales Russiæ, (i) unde aliquis erit error in designato tempore an. 958. cùm *Joannes* iste Imperium subierit post *Nicephorum 2.* Phocam (k) An. 970. quô jam filius *Olhæ* Russos gubernabat, nè dicamus *Olham*, quam nuptam *Igori*, circa An. 910. regnantem pro filio hærede ab An. 921. ad 945. supervixisse ad An. 970. & ultrà sub *Joannis Zemiscis* Imperio; unde credendum est baptizatam fuisse sub Imperante ante Phocam *Romano 1.* (quidquid ex *Stepenna Kniga*, conetur ostendere, Eruditus *Grossius Professor Petropolis*, in manuscriptis *tabulis chronologicis Politico-Ecclesiasticis historiæ Russiæ*, quas fortè luci daturus postea, mihi communicavit, in nonnullis credo corrigendas) Quintam generalem solemnissimam *Russorum* Conversionem, pauco in annis discrimine, notant omnes circa An. 990. vel 989. quô, regnante *Wladimiro* prædicti *Swiatoslai* filio, secum baptizatus populus totus per *Michaelem Syrum* primum *Metropolitam Kioviæ*, refertur in Stepenna Kniga (l) (quanquam *Baronius* ad An. 1008. alii ad An. 1000. hoc factum reducant) numeratô more *Ruthenô* antiquô *Annô mundi* 6497. correspondente 989. *Christianô:* tunc attritis idolis, ac in Borysthenem projectis, collustrata *Russia* Evangelium, & ritus Græcos amplexa, continuatis Christianis quoque Principibus servat, ínque Mahometanam Tyrannidem totâ Græciâ fortior, septentrionalis murus, & indirectè, etiam Occidentalium munimen, Christi Crucem sustentat. Quare Maximus ille Czar *Joannes Basilewitz 2.* non minùs scriptis in Lutheranos propulsandos, quàm armis gloriosus in alios, hæc scripsit: (m) *Baptizantur nostri* (Rutheni) *in nomine Patris, Filii, & Spiri-*

tûs

(i) Stepenna Kniga. Stepen. 1. Gran. 5. (k) Pfafius in Hist. Eccl. tab. Sæc. 10. (l) Stepen. 1. gran. 20. (m) Ap. Krook. loc. cit. ex respons. ad Confes. Robitæ.

tûs Sancti, nunc, & in sæcula benedicti (en bene explicatum unum Deum & trinum) *postquam primus progenitor beatus ille, & Magnus Czar Wlodimirus divinitus illustratus, nomen Basilii ad mysticam undam nactus est: à quo tempore, usque ad hunc diem, NON RUSSICA, SED CHRISTIANA APPELLATUR FIDES NOSTRA.* Aurea verba, quibus (n) *nulla distinctio Judæi, Græci,* aut Latini exprimitur, ſed *idem Dominus omnium dives in omnes, qui* fideliter *invocant illum;* ut deſinant jam Lutherani oblatrare in ſibi devios, nomine *fidei* ſeu Eccleſiæ *Ruthenicæ* ipſorum inſanô judiciô taxandos. Quomodo ergo in Schiſmatis partem aliquam trahentur, qui glorioſa tantùm *Christiani* appellatione dignoſci volunt? ſed de his fuſiùs loquuturi poſtea, quomodo Lutheranos ſibi bene notos vitandos ſentiant.

7. Ad initia igitur converſionis vertar, ut quales Miniſtros à Græcia receperit, Lutheranos Lutheranis confutaturus, conjiciam. *Kromaierus* Lutheranorum Chron-Oraculum ad Centuriam nonam (o) *Michaelis 3.* tempore *Bulgaros* converſos ſupponens, de ſequenti *Basilio 1. Macedone*, ſcribit: *Russis etiam, quos hodie Moskovitas vocamus, ut Christo nomen darent, author fuit.* *Pfasius* Christophorea recentior Lutheri columna (nullibi ſicut Kromaierus nobis Catholicis non maledicus,) eôdem ſæculô, affirmat: (p) *Porrò Hunnorum, Slavorum, & Bulgarorum gentes, hôc ævô, Christo nomen dedêre - - CONVERSI, & hôc tempore RUSSI, Indi, Malabares &c.* forſan hoc idem Lutherani falſum dicent: quia *Baronius* noſter (q) ante ipſos protulerit? Inſuper: ex *Joanne Curopalate, Zonara* (tom.3. pag. 139.) *Cedreno*, (compend. hiſt. pag. 589.) refert *Schwa-*

be

(n) Rom. 10. 12. (o) Hieron. Kromaierus. Hiſt. Eccl. cent. 9. pag. 384. 385. (p) Pfaſius. inſt. Hiſt. Eccl. Sæc. 9. c. 2. §. 3. pag. 171. 172. (q) Baron. tom. 10. annal. & in append. tom. 7. pag. 815.

be (r) *Joannes*, miraculum illud præſtantiſſimum; quô Archi-Epiſcopus quidam ab Imperatore *Baſilio* miſſus, prædicans inter Dei portenta liberationem trium puerorum à Babylonico igne, ſciſcitatúsque à Ruſſis æqua in Evangelii accipiendi confirmationem deſiderantibus, miſsô in ignem Evangelii librô, & in Chriſti nomine à flammis illæsô, veram Chriſti Divinitatem Ruthenis commendaverit, qui ideo Chriſtianam Religionem amplexi ſunt. (Nec mirum, quòd Lutherani plures fidem miraculi hujus, ſicut plurium, parvifaciant, qui ad confirmationem doctrinæ, vel errorum Lutheri, nec unum valent oſtendere, ex his, quæ in initio probaverunt confingere.) De hoc ipſo miraculo audiatur *Krook*: (s) *Miraculum hoc ante Wladimirum contigit, & ſub Baſilio Macedone factum, non autem Wladimiri tempore; & ſic Baſilios confudit.* Reſtat ergo, Lutheranîs teſtibus, credendum (etſi non generaliter, ùt poſtea per *Wladimirum*) jam ſæculô nonô, *Baſilii 1. Macedonis* tempore, quando *Ruricô* Novogorodiæ Duce, ſuprà memoratæ *Olhæ* pòſt regnantis Socerô, (t) ædificata fertur *Kioviæ* Urbs per tres fratres, *ki Tſchek* (aut *Txech*) & *Choreb*, (aut hiſpanicè, *Joreb*) converſionem quandam Ruthenorum fuiſſe, in *Palatinatu Kioviensi*, versùs minorem *Tartariam*, ubi Novogorodienſes Principes haud dominabantur, usque ad annum 896., quô expugnatam cepit *Kioviam*, interfectis *Oskoldô* & *Dirô* Principibus, (u) *Olegus* Tutor *Igoris* Avi *Wladimiri 1.* cum *Olha* Igoris uxore; de qua converſione meô videri intelligendi ſunt *Baronius* & *Papebrochius*. Itaque, ſicut ſæculô 10. in fine, converſa fertur per *Wladimirum Ruſſia* tota, tempore *Baſilii 2.* Græci Imperatoris; ità ſæcu-

B lô 9.

(r) Joann Schwabe cit. diſc. prælim. 2. (s) Krook. loc. cit. §. 3. pag. 51. (t) Ex Stepenna Kniga, Stepen. 1. Tabulæ mſcr. Groſſii, memoratæ. (u) Stepenna 1. & Groſ. ibid.

lô 9. circa annum 876. quô baptizati feruntur *Bulgari*, converſam credo *Ruſſiæ parvæ* partem illam *Kiovienſis* ditionis, ſub *Baſilio 1. Macedone;* converſioníque ſequutorum Principum *Olhæ*, & Nepotis *Wladimiri* non parum profuiſſeChriſtianiſmum antecedentem *Ruthenorum Kiovienſium*, quos expugnârunt; inter quos, etſi reſiduâ quorundam idololatriâ, Chriſtus miraculis notus, baptiſmô ſuſceptus ab uno jam ſæculo fuerat. His ſtabilitis

8. Quis dubitat (ad noſtrum reaſſumendum thema) *Baſilium 1.* hunc *Macedonem* non adeò *Photianis* addictum, ſicut fuerat prædeceſſor *Michael 3.* cujus ope *Ignatius* injuſtè à Sede Conſtantinopolitana depulſus fuerat? Legantur Acta *Concilii* (nobis œcumenici) 8. Conſtantinop. 4. Annô 869. celebrati (x) ubi Epiſtolæ inter hunc, & *Adrianum 2.* Papam inſeruntur; ubi Act. 1. ſimul cum *Photio* anathematizantur *Iconomachi;* Act. 3. triplex *Baſilii* ad *Adrianum* Epiſtola; Act. 6. *Baſilius* refertur *Photianos* alloquens Epiſcopos, hortatúrque ad irritæ ordinationis reſipiſcentiam, conceſsô novem dierum ſpatiô, ut Concilio ſiſtendi deliberent. Act. 8. juſſu *Baſilii*, & *Concilii* igni tradita, tum Conciliabulorum Photianorum acta, tum cuncta ab ipſo *Photio* contra præcedentem Papam *Nicolaum 1.* ſcripta, confutatúsque *Theodorus Critinus* Iconomachorum caput, per illuſtrem Laicum *Bahanem* Patricium, oſtensô numiſmate, cujus Imperialem imaginem venerari faſſo, repoſuit: *Si mortalis Regis imaginem veneraris, cur imaginem venerari renuis Chriſti Regis immortalis, ſanctiſſimæq; Matris ejus, ac omnium Sanctorum?* cuíque (ut futuros Lutheranos edoceret) præceptum poſitivum Chriſti ſcriptum requirenti, reſponſum fuit: *de eo, quod eſt ab Eccleſia Catholica definitum, non eſt quærendum præceptum Chriſti;* Act. 10. *Baſilius* idem interrogat Concilii Patres, num

(x) Apud Petr. Annat. apparatu ad poſit. Theol. lib. 5. art. 9.

num cunctis Concilii definitionibus acquiescerent? quibus annuentibus, damnationíque *Photii*, & *Iconomachorum*, (y) *calamis non atramentô, sed Christi consecratô sanguine tinctis*, subscripturis; *etsi rogatus* Imperator, ut ob dignitatem primus nomen apponeret, respondit: *suum non esse subscribere synodo, nisi post Episcopos, exemplô Constantini Magni, Theodosii, & Marciani, se tamen subscribere post Legatos Apostolicæ Sedis, & Patriarchas Orientales, honoris gratiâ sibi à PP. collatâ, non definiens, sed suscipiens, & consentiens.* Nec negabo post decennium mortuô *Ignatiô*, sub eodem *Basilio*, *Photium* iterum Constant. Sedi præfectum; sed consentiente sequenti Pontifice *Joanne 8.* (addit laudatus *Petrus Annatus* (z) in tract. de Conciliis) quare, quasi fæmineæ imbecillitatis Pontifex iste viriliter *Photio* non resistens, effæminati spiritûs dicteria incurrens, locum dedit fabulæ de *Joanna Papissa*, ab ipsis Lutheranis jam hodie irrisæ, (ut ex *Horatio Tursellino*, novissimè notavit *Burius* (a) vitas describens Pontificum:) *Photium* enim, non semel Constantinopolitanæ Sedis indignum, etiam inviti produnt *Lutherani* (apud citatum *Pfafium* ad Sæcul. 9. cap. 3. §. 4.) fatentes, eum Anno 888. secundò depositum, & *Stephanô Leonis 6. Philosophi* fratre suffectô, in Monasterium relegatum, sub *Adriano 3.*

Hinc conjici debet, quibus Græcis usa partum il- 9.
lum Russiæ minoris dederit Christo Ecclesia: neutiquam enim Photianum credent, cordati, qui Basilium Macedonem photianismum extirpaturum cum Græcis Latinis addictis legerunt. Quot sæculis continuârit in Græcia, incepta *Photiô* authore discordia, antequam ferè omnes à Latinis se segregaverint, latet neminem ex Catholicis,

 qui

(y) Ad Longum ap. Petr. Annat. loc. cit. (z) Ibid. in fin. pag. 88. tom. 2.
(a) *Burius* in vita Joan. 8. ex Tursellin. Epitome historiarum.

qui prænominatum *Comnenum* (b) viderint; ex Lutheranísque, qui suis *Kromaiero*, & *Pfafio* suprà adductis credant: uterque siquidem, Sæculô 11. (ille pag. 453. iste pag. 209.) memorat continuatam discussionem capitum dissidii, missô per Leonem 9. Constantinopolim *Humbertô* Monachô Lotharingô, ubi cum *Niceta* Græco, etsi fine non sequutô pacis, in arenam descendit: sicut Sæculô 12. uterque pariter scribit colloquia ad tentatam unionem nonnulla, *Pfafius*, in Concilio Constantinop. 1168. *Kromaierus*, alterum in Cassinensi Cœnobio Italiæ, inter *Petrum* Diaconum, & Philosophum quendam Græcum, præsentibus *Lothariô* Imperatore Latinô, & Legatis Imperatoris Orientalis, ope quorum translata Græcè disputationis exemplaria in Græciam missa refert à Patriarcha, & Imperatore videnda: alterum Constantinopoli in templo *S. Sophiæ*, inter *Anselmum* Episc. Havelberg. & *Nechitem* Archi-Episcopum Nicomediæ, solemnibus ad hoc destinatis ab Ecclesia Constantinopolitana Notariis; quibus liquet, non adeò extinctam fuisse in Græcia Christianæ pacis cum Latinis memoriam, ut plurimi non adessent (& adsint) qui Photianæ nobiscum inimicitiæ mordicùs non adhærerent. Nec diffitebor, cum sapientissimis non paucis etiam nunc in *Russia* mihi contigisse commercium, quorum vix unum dicerem Catholicorum inimicissimum; sed quid si alii dentur, pluribus unitati Ecclesiæ non obstituris, imò hâc Deô permittente non habitâ, ipsi gratias, quòd inter Latinos solos Lutheranos & Calvinistas æstimant verè heterodoxos, de quo, infrà, certiorem faciemus fidem. Quomodo enim Russia Christiana, *Photii* dogmata, & Synodorum ipsius acta tueretur, quibus nunquam se immiscuit, si nec Græciam nunc hoc

agere

(b) In præfat. ad prænotat. mystagog. (c) Pfaf. Sæc. 12. cap. 3. §. 3. pag. 226. (d) Kromaier. cent. 12. pag. 485. sequ.

agere constat ex Responsis Patriarchæ *Hieremiæ?* (e) quæ nè mihi Lutheranus quidam opponat corrupta, audiat quid suus *Kromaierus* (f) responsionem hujus propositurus annotet: *Hisce septem columnis* (id est septem Conciliis Oecumenicis) *Sapientiam superstruxisse domum suam dicunt Græci, nec aliam synodum post hasce septem esse recipiendam.*

Liquet ergo primos illos gloriosos viros, sub utro- 10.
que *Basilio* Imperante 1. & 2. missos in *Russiam*, sive baptizatâ *Olhâ*, & vocatâ *Helenâ*, sive Nepote hujus *Wladimirô*, vocatô *Basiliô*, tam remotos fuisse à Photianis tunc cum Ecclesia Romana contentionibus, ut nec verbum de hac scissura ad populum convertendum facerent, quem in vera Christi lege, & inconcussis septem Conciliorum dogmatibus informârunt. Græciæ ardebat ignis, cujus non legimus pertigisse in Russiam flammas. Si temporis decursu ille malô nostrô crevit, ut scissura nos inter successerit, hanc nec Ruthena Ecclesia aluit, nec synodicè in minimo approbavit; licèt Græci ritûs tenax,
& pia cultrix, Patriarchis quoque Græcis, juxta Sacros 11
Canones (præscindendo à Photii schismate) per plura sæcula subdita, quosdam Photianô in Latinos odiô non liberos Prælatos cognoverit, ex quorum singularibus dicteriis, Lutherani millena blateronum scripta repastinant: quia Lutheranâ charitate, etsi Ruthenos ad eorum hæreses deflecti desperent, persuasâ sibi à Latinis discordiâ satisfiunt:) nec mendacium profertur solemniùs, quàm ab omnibus ferè Lutheranis asseveratur securiùs, quòd scilicet inter exteros, Catholicos Latinos torvioribus inspiciant oculis, quod etsi quasi novum quid mitigaverit *Kroock* (g) novissimus de rebus Russiæ Scriptor, dicerent,

 vel-

(e) Patr. Hierem. ad Lutheran. pag. mihi 56. (f) Kromaier: cent. 5. de Stat. Eccl. Orient. pag. 281, in nota marginali. (g) Kroock. cit. Sect. 1. cap. 4.

vellem, cæteri, solemne aliquod Rutheni unius scriptum in Catholicorum dogmata, sicut plura in Lutheranos infrà adducenda; sufficeret *Javorskius*, quem taxat *Author Apologiæ pro Luthero* sibi respondens, velut Romanis addictum, ad convincendum contrarium: nusquam enim visus est adhuc Ruthenus scribens (publicè) quem teneamur Latini Catholici dicere Lutheranum, quia calamum in nos strinxerit; qui si fortè esset, teneretur *vel alium se fingere*, vel *Jenam confugere*, nè heterodoxus lapidaretur à pueris, unicum Lutheri errorem professus, quem proscripserunt Græci omnes. Si ea quæ audierim referam, nec unum Ruthenum accusabo, adhuc ex Rusticis, bene de Luthero loquentem; si quæ vidi proferam, erunt multi, qui Sacro à me celebrato astiterunt, quos in publico nostro templo inter sacra, devotissimos notavi. Dicant tandem Lutherani quid velint, etiam inanimatos citabo testes; campanis publicis ad sacra, *Moskuæ*, congregamur Catholici; quod nec tintinnabulô permissum est Lutheranorum templis.

II. Cautiùs igitur *Buddeus* processisset, si personatus non esset: allegat siquidem *Schediasma*, quod ante annos aliquot, *de Ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabili* ipse protulerat (pag. 2.) & immediatè (pag. 3.) profert: *Ruthenorum non minùs, quàm nostræ* (Lutheranorum) *Ecclesiæ interesse, ut calumniæ istæ & obtrectationes* (Javorskii) *refellantur - - Imò, si dicendum quod res est, graviùs, nisi veritas in apricum producatur, Ruthenis, quàm nobis* (Lutheranis) *imminet periculum, cùm ROMANÆ ECCLESIÆ ADDICTIS non obscurè blandiatur Javorskius, imò ad illorum captandum favorem, certè ad animum erga illos propensum significandum, tam iniquum erga protestantes se præbeat. A nostra autem Ecclesia, ùt nullam sibi aut libertati suæ metuendi Rutheni habent causam, ità Romanum contrà jam dudum hoc egisse*

egisse Pontificem, ut eos sub jugum mitteret, nemini illorum ignotum esse potest. (& concludens) *Hæc si experiri aliquando Ruthenos juvet, credant Javorskio, detestentur protestantes, colant Romanenses, horúmque collum suum tandem submittant jugo.* Verba hæc, dicet aliquis, orta ex securitate *irreconciliabilitatis*, quam fulminavit *Schediastæ* Prognosticon; ánve ex timore quô laborat *Apologista*? Fateor me non vidisse *schedam* illam, quam quæram, cerno tamen ex nova formidine spiritum alium. (h) *Quod timet impius veniet super eum*, quia in *Schediasmate* & similibus, putant Lutherani se habere spiritum (i) *Ahiæ* prædicentis divisionem tribuum, sed ipsos agitat (k) *Spiritus* ille *mendax*, qui ad necem *Achab*, suos exercebat *Prophetas*. Permittatur mihi eum aggredi ità fortem, qui, se defendente *impossibilem reconciliationem* dedit, parvipensô pro nunc istô, qui *Javorskiô* procurante *reconciliationem* jam timet. Si ille Ecclesiam Ruthenam à Græca & Orientali antiqua præscidit, nec Ecclesias novit, & Ruthenis injurius ipsos nec Latinis, nec Græcis associat; certè tamen Rutheni non sunt ùt *Lutherani* ab utrisque proscripti. Ex hucusque dictis patet, Ruthenorum à Romana Ecclesia nullum fuisse secessum; sed *abstractivam independentiam*, quam Patriarchatus Orientales Canonicè stabiliti, secundùm antiqua Ecclesiæ jura, immunem ab omni Schismatis nota tuebantur, (ùt imediatè deducam;) nec Ecclesia in Russia aliquem unquam fecit ad *sedem Romanam* recursum; aut ab illa, in administratione Canonica, & Hyerarchica habuit dependentiam, sed à Constantinopolitana, à qua sua habebat initia. Dixisset igitur *Schediasta Buddeus; inconciliabilem Ruthenam cum Romana Ecclesia*, mendacis Spiritûs vaticinium protulisset; sed *irreconciliabilem*, cui suô Lutheranorúmque votô nunquam con-

cilia-

(h) Prov. 10. 24. (i) 3. Reg. 11. 30. (k) 3. Reg. 22. 22.

ciliata fuit, quis nisi insipiens in titulo operis proferret? Hinc timuisse *Apologistam* conjicio, nè Eruditissimi *Javorskii* ope conciliaretur cum Romana hæc Ecclesia, quia legens eam *irreconciliabilem*, conciliatam aliquando supposuit, (in quo, quà Græca est, verè non fallitur;) aut quia fortè legit apud *Pfafium*, sæc. 16. cap. 2. §. 5. pag. 299. *Ecclesiam Moskoviticam & Russicam, cum Romana unionem inivisse, haud multò pòst tamen rescindendam:* quod meliùs invenisset sæculô 15. in Conc. Florent. per Isidorum Metropolitam Moscuæ, sed tunc fecêre Rutheni, quod cæteri Græci; quod autem semel fuit, non erit ità mirum si iterum fiat. Vocem igitur *Schediastæ Buddei* correxit sapientissimus *Theophanes* Archi-Episcopus nunc *Novogorodiensis*; cùm (in *Oratione* de laudibus emortui *Magni Petri I.* Imperatoris, quam *Plescoviensis* adhuc Archi-Episcopus dixit in Templo *SS. Trinitatis* in festo SS. Apost. Petri & Pauli, typísque datam *Revaliæ* 1726. Serenissimis *Holsatiæ* Principibus *Carolo Friderico* & *Annæ* Conjugibus dicavit) *Schediastam* prædictum in laudem Principis allegavit (pag. 54.) suppresô *IRRECONCILIABILITATIS* nomine, quem sic produxit: *DOCTISSIMUS ille, qui de DIFFICULTATE nostræ* (Ruthenorum sc.) *cum Latinis concordiæ disputavit.* Ubi, quod eum doctissimum dixerit, miror; sicuti quod vocem *irreconciliabilitatis* correxerit, laudo. Legi jam siquidem *Schediasma*, in quo, Opusculo à sapientissimis *Sorbonensibus* pro concilianda *Ruthenorum* cum *Romana* Ecclesia Petro illi Magno præsentato, conatur occurrere, sed, ut sic dicam, insipientissimè: nulli enim aut minimæ *Sorbonensium* satisfaciens rationi, non modicùm notæ pietati Magni illius Principis derogat, cùm (in pluribus §§.) *superstitiosa* blasphemat dogmata Orthodoxa, quibus non addictum mentitus Principem laudat. Nedum eapropter dici debet *INDOCTISSIMUS Schediasta*;

sed

ſed quoque, & civiliter authoritate *Imperiali*, & canonicè per Eccleſiaſticam *Ruſſiæ Synodum* à tota *Ruſſia* proſcribendus.

12. *Ruthena*, inquam, Eccleſia, ſi eam inter particulares *Græcas* velimus præſcindere, labis omnis expers manſit Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjecta: jurgiis enim Patriarchas inter & Pontifices ſynodicè nîl tulit ſuffragii, nec *Photium* ſequuta, etſi obſequuta Patriarchis Conſtantinopolitanis ſemper fuerit. Hoc ſi probem canonicè, nedum *Ruthenos* oſtendam ab omni in Schiſma illud influxu ſalvos, ſed alias Græcorum, & Orientalium Eccleſias plures eisdem principiis defendam immunes.

13. Erectum Chriſti *non de hoc mundo*, ſed, *in hoc mundo* Regnum (quod, *Monarchicum* in *Petro* ad *paſcendas* ſinè diſcrimine *oves omnes* (l) *&* *agnos* profitemur Latini Catholici) *Ariſtocratiâ* temperatum (m) ſtabilientes Apoſtoli, primas Eccleſias in diverſis orbis partibus, quibus parerent cæteræ, fundaverunt: *Petrus*, *Antiochenam*, *Romanam*, & *Alexandrinam per Marcum*; *Paulus* non paucas; *Joannes* (teſte (n) Hieronymô) *totas Aſiæ fundavit*, *rexítque Eccleſias*: determinatis quibusque ſitibus, ut velut Supremi in primis urbibus, Præſides Epiſcopos in Provinciis conſtituerent, iſtíque Superintendentes ſeu Epiſcopos alios, qui Presbyteros cæteros ordinarent, ut ſic Hyerarchiâ nedum ſervatâ, ſed regimine, in uno corpore, primus, inferiores quoque paſceret per ſubalternos. Præter iſtas, in quibus Patriarcharum monumenta ſervantur, tres *Exarchos*, vel *Autocephalos* conſtituerat *Joannes*: pro *Aſia Epheſi*, *Cappadociæ Cæſareæ* pro *Ponto*, & *Bizantii* pro *Thracia*; quos Patriarchatus Conſtantinopolitanus, novæ Romæ ſumptô nomine ſuppreſſit. De

 his

(l) Joan. 21. 15. (m) Math. 18. 18. (n) S. Hieron. lib. de Scriptor. Eccl.

his fusiùs authores historici, & (o) Can. 35. Apostol. ubi *Episcopi singularum gentium* jubentur *recognoscere primum, quem velut caput existiment, & nîl præter ejus consensum gerant; quàm illa sola, singuli, quæ Parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea sunt, competunt: -- sic enim unanimitas erit.* His manentibus Metropolitanis per prima sæcula, in Syn. Oecum. Nicæna 1. Can 4. jubetur ut ordinatis Episcopis per Comprovinciales, (p) *potestas, vel sanè confirmatio, pertineat per singulas Provincias ad Metropolitanum Episcopum.* Can. 6. committitur *Alexandrino*, (juxta morem antiquum) potestas hæc in *Lybia* & *Pentapoli*, suppositâ in exemplum antiquiori authoritate Romani Episcopi; & *Antiocheno, cæterisque Ecclesiis*, (certè dictis Asiæ Authocephalis.) *honor suus unicuique*; taliter, ut *sinè consensu & voluntate Metropolitæ ordinatus Episcopus, pro non Episcopo habendus*, declaretur. Can. 7. *Honor Metropolitæ datur Hierosolymitano, sed servatâ dignitate*, (id est authoritate) *Metropolitanæ Civitatis* (Alexandriæ) - - (Hôc forsan à quibusdam neglectô) An. 341. in Synodo *Antiochena*, (confirmata per sextam Oecumenicam) Can. 9. per singulas regiones decernitur *Metropolitanis* cura totius Provinciæ, cunctáque ad ipsum referri cæterorum Episcoporum negotia, præter ordinationes Presbyterorum. Nomen *Patriarchæ*, adhuc Annô 381. in Concil. Const. 1. erat inauditum; tamen in Can. 5. (vel aliis 2.) decretum est, ut *Constantinopolitano Episcopo daretur honoris Primatus post Romanum, eò quòd sit nova Roma.* Malè tulêre primi Metropolitæ, alii Orientales, hunc sibi præferri; quare, his instantibus, Romana Sedes, nunquam hoc acceptavit, non ob propria ablata jura, cujus semper supponebatur *Primatus*, sed ad antiquiorum Ecclesiarum

(o) Apud Caranza. Sum. Conc. (p) Ap. Caranza. ubi suprà ad long. suis loc.

ſiarum honorem, ſacróſque Canones tuendos. Nec unô verbô circa hoc prolatô in Synodo Epheſina, in qua, antequam advenirent *Arcadius, Projectus,* Epiſcopi, & *Philippus* Presbyter, Legati *Cæleſtini I.* non *Conſtantinopolitanus Neſtorius* (tunc damnatus) præſidere tentavit, (q) ſed *Cyrillus* præfuit, nedum ùt Apoſtolicus Legatus, ſed jure ſuæ Alexandrinæ Sedis in Romani abſentia; unde conſtat, prædictam Conſt. Epiſcopi decretam dignitatem ſecundi, nullam inter Græcos ipſos habuiſſe vim: quia *Neſtorius,* etſi damnandus, ſuum obtinuiſſet antea locum; ſicut in ſequenti Synodo Chalced. ſedentibus à ſiniſtris Legatis Romanis, tanquam nobiliori locô, à dextris primus ſedit *Dioſcorus* Alexandrinus Epiſcopus (damnandus) *Anatolius* autem Conſtantinopolitanus poſt Legatos, unde Alexandrino cedens honorem. Quare in dicta Chalcedonenſi Synodo, jam fortiùs pro Conſtantinopolitano Epiſcopo, non contra jura Romani, ſed Alexandrini, Antiocheni, & potiùs contra antiquos Aſiæ Exarchos ſanxêre Græci, can. 9. (r) ut recurſus cauſarum inter Clericos fieret *ab Epiſcopis ad Synodum*, à Metropolitanis ad Primates, & tandem *ad Conſtantinopolitanæ Regiæ civitatis ſedem.* Et (s) can. 28. ſeu Act. 16. & ult. jus Patriarchii poſt Romanam, Conſtantinopolitanæ Sedi competere, his verbis: (t) *ut his qui de Ponto ſunt, & de Aſia, & de Thraciæ Diæceſibus, Metropolitanos ſolos: rurſus autem, & QUI INTER BARBAROS SUNT EPISCOPOS PRÆFATARUM DIOECESUM,* (quomodo loquebantur tunc de ſibi incognitis ſeptentrionalibus) *ordinari à prædictæ Conſtantinopolitanæ Sedis Eccleſia; quippe, ut unusquisque Metropolita præfatarum Diæceſum, cum Epiſcopis ſuæ Provinciæ ordinet ſuæ Regionis Epiſcopos, &c.* Hæc ad longum protuli, unde

 radix

(q) vide ad long. Petr. Annat. lib. 5. art. 4. & 5. Sectionis 3. pag. 40. ſequ. (r) Ap. Caranza. fol. 120. (s) apud Petr. Annat. ubi ſuprà. (t) Caranza ibid. fol. 130.

radix petenda est Canonici regiminis continuati, & erecti in Ruthenorum Ecclesia.

14. Certissimum est, nec tunc ejus Vicarios, nec postea Romanos Pontifices hunc Canonem approbâsse, usque ad Concil. Lateran. 4. Anno 1215. sub Innocentio 3. Can. 5. (u) concurrentibus Orientis Patriarchis, universíque Christiani Orbis Principum Legatis, ultráque 1200. Patribus. Sed tamen distinguendum est inter *substantiam*, & modum seu *motivum* Canonis. Substantia erat Ecclesiarum Orientalium administratio, quam semper à Metropolitis, & Primatibus habitam in Ordinationibus Episcoporum, & Ecclesiarum, nemo ambigit; quámque solùm in casibus hæresum publicarum, Conciliorum convocandorum, sedium deturbatarum, Patriarcharum intrusionem, & alias communissimas causas, ad Romanam spectâsse Sedem, nullus dicet, qui ex historia Ecclesiastica aliquid legerit. Motivum Canonis erat, (x) *quoniam Sedi Senioris Romæ, propter imperium Civitatis illius, Patres consequenter Privilegia reddiderunt;* indè Imperiali novæ Civitati reddenda probantes. Hoc Roma retudit directè; cùm à *Christo* per *Petrum* Apostolorum Principem, cujus Successor est Romanus Pontifex, Caput visibile Ecclesiæ credamus Latini, & (ex Joan. 21.) convincere me alibi putem, minimè humanô Ecclesiæ Privilegiô *Papa*, ùt *Petri Successor*, sic creditur; ùt *Patriarcha Occidentalis*, & ùt *Episcopus Romanus*, tenetur Patriarchalibus, & Episcopalibus Canonicis legibus, quarum ipse, ùt Ecclesiæ caput, est, locò Christi, dispensator, & custos. Substantia Canonis, nîl Romam attingebat; imò ab anno 451. quô Chalcedonensis Synodus hoc decreverat, usque ad 879. quô Photiana sequuta est discordia, in tribus Synodis Oecumenicis, celebratis, & deinceps, sinè

(u) Petr. Annat. ubi suprà art. 13. (x) Caran. ibid.

ſinè conteſtatione admiſſus fuit Patriarcha Conſtantin. poſt Romanum Epiſcopum, omnésque Metropolitæ per ipſum erecti, & ordinati, à tota Eccleſia fuêre recepti: ſolùm illud motivum Romanam Sedem ex humano privilegio primam ſupponens rejectum eſt; hócque prætermiſsô à Græcis, in Concil. Lateran. dicto, 1215. cætera fuêre plenè confirmata, quia nihil renitentibus cæteris Orientis Sedibus, Eccleſia ſic regebatur in pace. Videatur can. 11. Synodi Nicænæ 2. ubi œconomum Eccleſiis aſſignari, Metropolitis negligentibus, à Patriarcha Conſtantinopolitano, decernitur, juxta Can. 26. Chalcedonen, in quo, *Petrus* uterque Legatus, aut *Adrianus I.* nîl obſtitiſſe leguntur.

Sic canonicè authorizata Conſtantinopolis Sedes, ritè ordinavit Epiſcopos, iſtíque canonicè ſibi ſubduntur, nedum ex eis, quos Thracia, Pontus & Aſia habebant, ſed ex novis Provinciis Græcorum ope ad Chriſtianam fidem redactis; quas unicuique ex Patriarchalibus attigiſſe, cui deberetur illius converſio, teſtatur contentio ipſius Conſtantinopolitanæ cũ Romana Eccleſia circa *Bulgaros*, ad quam nempe attinerent, à cujus ſcilicet Miniſtris converſi fuerint; ùt in hiſtoria Eccleſiaſtica nemo ferè reticet. Fuerit inter Patriarchas Conſt. & Romanos Pontifices diviſio; proſcriberentur illi per Apoſtolicam Sedem; (y) *væ illi per quem ſcandalum venerit!* quod, moraliter *eſt neceſſe ut veniat;* nunquam Eccleſia Ruthena ſcandalo huic opem tulit, quæ nunquam ſynodicè quidquam contra Romanam Sedem definivit. Jura Conſtantinopolitana, nusquam tetigit Eccleſia Latina, etſi in Patriarchas judicium tulerit: tenebatur igitur Ruthenos inter fundata per Græcos Patriarchas Eccleſia, Metropolitis canonicè ſtabilitis, juxta adductos Canones (præſcin- 15.

(y) Math. 18. 7.

dendo, ùt suprà diximus, à Schismate) parêre, Constantinopolitanámque Ecclesiam Patriarchalem venerari, ad ipsámque in Metropolitarum Confirmatione recurrere, quò veri Episcopi, & Presbyteri cæteri, verum, purum, haud scissum Cœtum Ecclesiasticum constituerent, Canònicô jure utentes, per quod Constantinopoli subdebantur.

16. Et quia innovata quædam post plura sæcula, possent dicterici cujusdam pennam acuere, breviter cunctis occurram. Primus (z) *Metropolita Kioviæ, Michaël Syrus*, An. Chr. 988. in secunda generali Conversione, stabilitus, ex Can. 35. Apostol. Antiochen. 9. Const. primi. 9. & 28. adductis, & jure Patriarchali Constantinopolis, ritè creatus supponitur. Post sexcentos Annos, etsi Metropolitas (a) successivos, qui Sede è *Kiovia*, *Wladimiriam*, & hinc *Moskuam* erectas in Regnantium aulas, transtulerunt; vergente Mundi 7095. Chr. 1587. *Job* (b) priùs Metropolita fuit evectus in Patriarcham, per Patr. Constantinop. *Hieremiam*, qui cnm Metropolita uno, & duobus Episcopis Græcis in Moscoviam venit, simúlque Patriarchalem Sedem *Moskuæ*, & Metropolitam *Alexandrum Novogorodiæ* instituit. Hunc *Jobum* & sequutos, potuit Romana Sedes inconsulta, non Patriarchas agnoscere, sed solos Metropolitas ab indubitato Patriarcha creatos; qui nîl Constantinopoli derogârunt, ex quo Sedis illius Antistites Russiæ Ecclesiam sibi subjectam independentem fecerunt, quia pro Patriarcha nominando, non tulêre leges Canones sacri, assumptô hoc titulô in honorem primarum Urbium; qualis nunc inter Christianos est Moskua Caput Christiani Rutheni Imperii: justissimúmque sentirem, si quemadmodum *Constantinopoli*, *nova Roma* dictæ, ob Imperantium Chri-

(z) Ex Stepen. 1. gran. 20. Tab. Chronol. Grof. cit. (a) Ordine adducuntur in eisd. Tab. usq. ad Stepen. 17. gran. 20. (b) Ex Stepen. Kniga 17. gr. 20. Krook. Sect. 1. c. 18. §. 1. pag. 164.

Christianorum aulam secundus Patriarcha datus est ab Ecclesia; ità Russiæ, potiori jure, *novæ Græciæ* nomen tribueretur, & Moscuæ, *novæ Constantinopolis*, in qua, Orientali cessante Imperiô, Christiani Imperantes subsistunt; unde à Christianis Principibus, istis adjudicaretur Orientale Imperium, sicut ab Ecclesia tota, Sedi Moscuensi, Patriarcha, salvis aliorum juribus, honoribus Constantinopolitano non impar: ubique enim, Christiana Ecclesia Orientis pusillus grex gemens sub Turcarum Tyrannide, in Russia verò Imperium inter Europæos majus liberrimè Christum adorat sub Christianis Principibus. Ab Anno 1703. mortuô *Adrianô* Patriarchâ, nec per Imperatorem Petrum I. provisô de successuro, constitutus est celeberrimus iste *Stephanus Javorski* Resanensis & Muromensis Metropolita, vacantis Sedis Patriarchatûs Exarcha & Administrator; an hoc factum ex Patriarchæ Constp. Consensu, non invenio, qui poterat in hanc Ecclesiam nova jura sibi devolvenda prætendere; sed neque auditum est, hunc, aut Metropolitas Kiovienses aut Novogorodienses qui stabiliti in Diœceses sibi subjectas (semper præcisô ùt diximus schismate) jus habere videbantur, contradixisse; erectísq; jam antea Metropolitis aliis, ùt hic *Resanensis, Rostov. Casan. Saskiensis, &c.* jam Synodis pluribus nationalibus plura ordinata sunt, quæ consensu expressô aut tacitô Const. Sedis aliter disponunt. Nec dubito in rebus gravissimis, speciali lege non cautis, ad *Patriarcham Const.* recurrere, ùt constat, in deponendo *Nicon* Patriarcha, Annô 1667. advocati sunt (c) tres Patriarchæ Orientales Moskuæ, qui eum in judicio depositum damnavêre, substitutô *Josaphat* à Synodo & Czare Alexio. Signum ergo est ratas habuisse Patriarchas Cnsp. cunctas Russiæ in administranda Ecclesia novitates.

Con-

(c) Krook. sect. 1. cap. 18. §. 2. pag. 165. & Tabul. Geogr. Gros. cit.

17. Consultiùs igitur, (suppressâ Patriarchali dignitate, de quo non ad præsens) ab Anno 1720. mortuô Javorskiô, Synodô Ecclesiasticâ (vocatâ sanctâ) ex diversis Imperii Prælatis institutâ, res Ecclesiæ, locò Patriarchæ administrantur. Quam, nec Constantinopolitano reclamante, rectè de rebus Ecclesiæ decernere, (seclusô itèm schismate) suadent, Canon 37. Apostol. (d) statuens; *bis in Anno celebrari Episcoporum Synodos, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & EMERGENTES ECCLESIASTICAS CONTENTIONES AMOVEANT.* Can. 5. (vel. 3.) Nicæn. 1. idem præcipitur, (e) ut Episcoporum gesta examinentur: *rectè visum est, per singulos Annos, in singulis Provinciis, bis in Anno, Episcoporum consilium fieri, ut simul in unum convenientes ex communi Provincia, hujusmodi examinent quæstiones, &c.* -- Can. 9. Calcedon. (f) *Si Clericus adversùs suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi Provinciæ conqueratur -- quodsi contra Metropolitanum, pergant ad ipsius Diœcesis Primates, aut certè ad Constantinopol. Regiæ civitatis Sedem, ut eorum ibi negotium terminetur.* Lutherani insuper eorúmque socii, qui Ecclesiæ decreta contemnunt, attendant Ruthenorum praxim haud taxatam apud suum *Krook*: (g) *Reliquis (*Conciliis, ideſt particularibus*) tantam authoritatem,* (quantam œcumenicis) *non esse tribuendam* (Rutheni sentiunt) *omnem autem illis adimendam, non sinunt credere provocationes ad Concilia particularia non infrequentes.* Restat itaque, Ecclesiam Ruthenam (juxta dicta, schismate præcisô) semper Canonicè in regimine processisse, etiam nunc, stabilitâ permanenti Synodô, quæ non *bis in Anno*, sed continuò de Ecclesiasticis rebus judicat, nîl læsis Episcoporum jurisdictione, vel Sedis *Constantinop.* aut *Roma-*

(d) Ap. Caranza. fol. 4. (e) Idem fol. 32. (f) Idem fol. 120. (g) Krook. cit. sec. 1. cap. 19. §. 3. pag. 175.

Romanæ Canonicis Juribus. Hanc eapropter dicemus aut *irreconciliabilem*, si eandem verè dicamus cum Græca, aut *inconciliabilem*, si illam vellemus ab ista præscindere? Pudeat *Schediastas Buddeo* similes vaticinii, nedum spiritûs mendacis, sed stupidi: quia potioribus fundamentis timet *Apologista* possibilem *Conciliationem*, *si Rutheni credant Javorskio;* qui licèt nec unum verbum in favorem Capitalis authoritatis visibilis, quam tuetur Roma, protulerit: dogmata tamen Græcis, Latinísque orthodoxis communia, contra Lutheranos defendit.

Apud hanc igitur Ecclesiam forsan intendent Lu- 18.
therani profugi à Romana refugium? Russos, an, Græcæ antiquæ Religionis avidos ad se tentabunt pervertere? Num, sicut *Calvinistæ* (Lutheranis Scriptoribus utor) (h) per *Cyrillum Lucarium, Genevæ, in Belgio & Anglia educatum, ex Alexandrina, Constantinopolitanam Sedem* (illorum opibus) *nactum scriptâ Confessione, reformatam fidem in Ecclesiam Orientalem invehere tentaverunt*, ità ipsi in Ruthenam, Lutheranismi pestem funestâ contage conspergere conabuntur? Haud timens de fructu, sic sentio; sed meminerint vellem de *Lucarii* fine, nè alium ad eundem exponant in Russia: (i) *Tantam odium apud Græcos sibi conflavit* (Lucarius) *ut eapropter ab ipsis coram Veziério accusatus, laqueô à Turcis interemptus fuerit, & in Synodis duabus Constantinop. An.* 1638. & 1642. *itémque in Synodo Hierosolymitana, anathemate percussus.* Legant apud *Kromaierum;* (k) *strangulatô Cyrillô*, Patriarchas duos sequentes in Synodis, *ad confessionem Patriarchæ Hieremiæ, tanquam orthodoxam, provocâsse;* nec obliviscantur, hanc ab illo efformatam (l) contra Augustanam Confessionem, à Theologis Tubingensibus (Lutheri tubis) per *Crusium*,

(h) Pfafius ad Sæc. 17. cap. 2. §. 8. pag. 317. (i) Idem 16. (k) Incidenter ad cent. 5. à pag. 290. ad 298. (l) Idem 16. pag. 280.

antecedenti Patriarchæ transmissam. Reminiscantur *Waldensium*; quos, (m) *Joachimus Hesterberg*, Hamburgensis in Theatrum publicum *Argentorati*, Annô 1668. produxit Orthodoxiæ Lutheranæ testes, & socios (ego dicerem Patres) quærántque, (n) à prima in ipsos animadversione per *Archiepiscopum Lugdun. Joannem de Bellamais, vivente Waldô; per Alexandrum 3. in Concil. Later. 1179.* & Sanctum Patrem meum Dominicum, ejúsque Fratres usque ad *Joannis Huss* tempora, mutatis tot nominibus, quot Sedibus: num profugi illi errantes, per quatuor usque ad Lutherum sæcula nullibi ferè non odibiles, minimum saltèm ipsorum tutorem habuerint Græcum? Certè iste Waldensium Nepos antiquiorem Lutherô sobolem jactaturus, scripsit: (o) *quin imò, ex Illyrico in Græciam, Thraciam, & Constantinopolim usque, progressi sunt*: sed (citans S. Antonin. p. 3. tit. 21.) addit: *aliquot ibi MARTYRUM coronis insigniti*; en æquè à Græcis, ac à Latinis exceptos Lutheri progenitores: quorum posteris hoc restat solatiū, quòd si à Græcorum filiis Christianis Ruthenis eâdem Laureâ ornarentur, rescripturus *hic Apologista* residuus Martyres venditaret *Buddeanâ* canonizatione colendos.

19. Sat responsum judicarem *Apologistæ* exordio, qui usque ad paginam 11. totus in *Javorskium* debacchatur; cujus scilicet opus *Petrus 1. sive Magnus ad æternas damnaverit tenebras* (pag. 2.) hujus tamen optimi Principis decretum producere impotens. Nîl Lutheranis novum mortuis detrahere, sicut de piissimo *Carolo 5.* ipsorum in vita malleo, delirantes confingunt ad eorum declinâsse errores; cùm tamen in monasterio *S. Justi in Hispania*, relictô sæculô, sanctè obiisse, nemo ignoret. Miror tamen, quòd immediatè, approbationem Sapientissimi

(m) Dissert. cui tit. *Ecclesia Waldensium.* (n) Ibid. Sect. 2. art. 1. §. 4. (o) Ibid. Sect. 1. art. 3. §. 7.

ſimi *Theophilacti Lapotinski*, Twerenſis Archi-Epiſcopi, in Scholis ſubtiliſſimi à me etiam noti Theologi, in Diœceſi Paſtoris Vigilantiſſimi, in Synodo probiſſimi Judicis, in tota Ruſſia amabiliſſimi Prælati, in opus *Javorskii* datam, non ſileat: *librum* eſſe *utiliſſimum, ſummáque rerum Divinarum ſapientiâ compoſitum: non tantùm utilem ad confirmandos animos IN DOGMATIBUS ORTHODOXÆ ECCLESIÆ, atque ad retundendas blasphemorum hæreticorum blaterationes, ſed & valde neceſſarium!* de quibus loquatur *hæreticis*, explicaverat jam *Javorskius*. Addam: nullum me adiiſſe doctum in Ruſſia virum, cujus manibus non teratur, judiciô non approbetur, libríque Author laudibus à cunctis extollitur. An hi omnes palàm loquentes minoris erunt notæ inter paucos exterorum homunciones, quos alit Ruthenorum politia, ſed deteſtatur Religio, ut dicat Apologiſta (pag. 4.) *utriusque Eccleſiæ Ruthenicæ, & Lutheranæ agi cauſam* in oppugnando commendato à cunctis *Javorskio?* An quia iſte vocat *Lutheranos*, & *Calviniſtas* Hæreticos, *ſinè fine, & ſinè modo calumnias, convitia, & obtrectationes in Proteſtantes conjicit?* (pag. 1.) An ex quo, ex relatis (pag. 8.) amicitiam, & communionem cum hæreticis vitandam ſuadet, ignaris præſertim, obtrectatorem dicemus & Paulum (p) cujus monita memorat? ſcio quantum hæc vox pungat *heterodoxiæ*, quotquot hæreticos proſcripſit Eccleſia; Legi quoque *Pfaſium*, (q) poſt alios à ſe relatos, diſſertationem notis illuſtrandam, ſed defœcatam edidiſſe, de crimine hæretificii; ubi (r) *eum, qui bonâ fide* (ùt ait) *errat*, id eſt, eum, qui adhuc Eccleſiam definientem præ ſe erráſſe judicat - - (s) eum, *qui non habet fidem* (quam blasphemat) *SECTARIAM, quæ ex communibus traditio-*

(p) 2. Tim. 2. ibid. 3. 2. Theſſal. 3. 14. (q) In fine tract. de inſtit. juris Eccl. Francofurti impr. an. 1727. p. 465. (r) 16. art. 1. pag. 468. (s) Id. art. 2. pag. 473.

nibus conflatur - - cunctos tandem (t) *qui non ex humana quavis traditione* (Divinam agnoscit nullam) *veritatem pendere*, credunt: *qui SOLAM SOLAM SCRIPTURAM* (à se vel corruptam, vel finistrè expositam) *agnoscit*, ab omni hæresi liberat; quâ doctrinâ suppositâ, omnes antiquos SS. PP. *hæretificos* dicet, cùm nullus quasi fuerit hæreticus, cui *Christus atque Divina ejus verba Lapides offensionis non fuerint*, ùt optimè notavit *Javorskius* in operis initio: nullus enim fatebitur *malam fidem*, quâ errat, quâ scripturas corrupit, quâ (u) *Ethnicus* alter & *Publicanus*, *Ecclesiam* definientem *non audit*, quâ (x) *spretis Ecclesiæ vocibus*, *spernit Christum*, *& Patrem*, *qui eum misit*; si autem *hæreticum* constituit *pertinacia*, frustra expectaremus damnare Confessos, si nefas esset tales declarare Convictos: quales extitisse *Novum Goliath* à Javorskio Confossum, ejúsque Sequaces, infrà, ex Latina Ecclesia supponens, ex Græca, & Ruthena, imò ex Lutheranis ipsis evincam. Sufficiat pro nunc, nè in Ecclesia novum *hæretificii crimen* invehant, supponere, nullum *Cyprianum* inter Lutheri asseclas extitisse, de quo S. Augustinus (y) ait: *Non accipio, quod de rebaptizandis Hæreticis, & Schismaticis sentit beatus Cyprianus:* (ponderetur ratio) *quia hoc ECCLESIA non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem suum fudit:* qui tamen, (z) supponens hominem, ex ignorantia, cum *Photino* Syrmiensi Episcopo in Illyrico, Divinitatem Christi negantem, si judicet hanc esse Catholicam fidem; *Istum* (ait) *nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ Fidei resistere maluerit.* Nec *Javorskium* ergo, nec ejusdem, quos supponit Magistros, nec Ecclesiam in Lutheranorum descriptione vocet *Apologista* (pag. 2. & 8. 9.) cum adducto *Psasio*, *hæretificos*; sed *hæretinoscios*, vel *hæretifugas*. *Ma-*

(t) Idem pag. 476. (u) Math. 18. 17. (x) Luc. 10. 16. (y) S. Aug. lib. 2. cont. Cresconium Grammat. cap. 32. (z) Lib. 4. de Baptismo. contr. Donatum.

Magistros disciplinæ *Javorskii*, insinuatos pag. 2. 8. 20. 95. sed, pag. 114. & sequ. exprimens, *Jesuitas* supponit; contra quos, quasi *Javorskius* Societatem illam Religiosam constitueret, pugnam indicit. Ab *Apologistæ* convitiis tuendos, infrà, eôdem cogente, servo; interim vitiosam suppositionem, nec negans veram, redarguo. Cunctos Lutheranismum impugnantes si ex *Jesuitis* concederem, plurimùm à cæteris Latinorum Religiosorum sacris cœtibus, circa *Societatis* laudes relinquerem invidendum. Huic gloriandum, quod Ecclesiæ dogmatum, quasi tutrix futura, Lutheranis coæva, paratum fuerit à Deo Ecclesiæ pharmacum, unde viperinum spumabat venenum, novúsque dicatur plantatus in Latina Ecclesia hortulus, unde senticosum segregabatur vepretum: (a) *constans enim fuit omnium sensus, etiam Pontificiô confirmatus oraculô, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos Viros, ità Luthero, ejusdémque temporis hæreticis, Ignatium & institutam ab eo societatem objecisse.* Sed gloriâ hâc celebres, cæteri Religiosi, *Jesuitas* non fatebimur unicos: nam ex singulis numerabiles erunt, qui scriptis in hæreticos decertârunt; nec novum est Lutheranis, à *sanctissimo P. N. Dominico Guzmano* hæredium Prædicatorum Ordinis esse: (b) *capere vulpeculas, quæ demoliuntur vineas;* cujus sacri instituti jubar, prælucens tribus sæculis, errorum Lutheri pulsavit nubila, dum scribente *Sanctô Thoma Aquinate*: (c) *factum est, ait Pius V.; Omnipotentis Dei providentiâ, ut Angelici Doctoris vi, atque veritate doctrinæ, quâ Apostolicam Ecclesiam illustravit, infinitis confutatis erroribus, ex eo tempore, quô cœlestibus civibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses confusæ & convictæ dissiparentur -- quod & antea, & liquidò nuper in sacris Triden-*

D 3

(a) Breviar. Præd. in offic. S. Ignat. 31. Jul. lect. 2. nocturni. (b) Cant. 2. 15.
(c) Breviar. Præd. lect. 3. noct. die oct. S. Thom.

dentini Concilii Decretis apparuit. Splendidissimus (hic juxta Paulum V.) (d) *Catholicæ Fidei athleta*, noſtram cumularet gloriam, *Thomas Aquinas, cujus ſcriptorum clypeô, militans Eccleſia, hæreticorum tela feliciter eludit.* Latini igitur & Græci Monachi, qualis fuit *Javorskius* quoque, cuncti hæreticos impugnamus, impugnare didicimus & docemus: (e) *unus eſt* ad hoc *cunctorum Magiſter Chriſtus*, qui nos inſtruit, vitandos (f) *cêu Ethnicos & publicanos eos, qui non audirent (docentem & corrigentem) Eccleſiam:* (g) *arguerêque -- in omni patientia & doctrina, tempore, quô ſanam doctrinam non ſuſtineant (quinam? (h) Magiſtri illi mendaces, qui introducent ſectas perditionis.* Quid ad te (quisquis ſis *ô Buddee*) quod illis aut aliis uſum Magiſtris noſcamus *Javorskium?* ſi (i) *doctrinam* ejus *miramini*, quid ad vos, Lutherani, quod *à nullo didicerit?* Reſpondebitur vobis in Chriſti Verbo: *Doctrina Javorskii, non eſt ipſius*, ſed Eccleſiæ & Chriſti, ut patebit legenti. Orthodoxi, etiam Latini; (k) *dicemus, quia bonus eſt;* vos *dicetis: non, ſed ſeducit turbas;* ſi hoc putatis probare ex *Jeſuitico* Magiſterio; augebitis Præceptorum honorem, quibus gratulamur, haud exauthorantes diſcipulum, cujus in *petra* hac *Fidei* inciſa dogmata unanimiter confitemur cum Græcis Romani.

21. Tangit *Apologiſta* eos, qui ipſum nec noverant, ut à rationum *Javorskii* vi fugiat, quarum nec minimam frangit. Reſponſurus Viro Græcis aculeis utenti, in Romanos tela vertit. Ruthenus Prælatus, in Lutheranos anathemata inter Ruthenos vibrat, cui ſatisfit convitiis in Jeſuitas congeſtis. Eſtne hoc *Apologiſtæ* exercitium, an *Apologantis* Apoſtatæ fabuloſum opuſculum? (l) *Invide,*

(d) Ibid. Breviar. Ord. Præd. (e) Math. 23. 10. (f) Math. 18. 17. (g) 2. Tim. 4. 2. (h) 2. Petr. 2. 1. (i) Joann. 7. 15. (k) Ibid. v. 12. (l) S. Baſil. ap. Arsdek. appar. doctr. ſacr. v. invidia.

de, quid suspiras? (ait S. Basilius) *propriúmne malum, an alienum bonum?* Errores Lutheri expresse confundit *Javorskius*, hoc fictæ tuæ Ecclesiæ malum. Romanam Ecclesiam indirectè approbat, dum (quædam) ejus dogmata ab Apostolis, & Græcis & Latinis recepta demonstrat; en alienum bonum, quod Lutheranum pungit; indè suspirat improbus *Apologista*, ob commune bonum uniendæ Ecclesiæ, quod timet, quódque *Javorskius*, etsi exoptans, suo in opere non prævidit, qui oves sibi commissas unicè à tabe Lutherana servandas intendit. Jam liberum in me *Apologistæ* (alterius vel ejusdem) non mirabor calamum; sed vereor, nè me scribente, in Ruthenos vertatur odium eorum, qui à Rutheno offensi, in Latinos exercuêre vindictam. (m) *Ecce ego, quia vocâsti me;* respondebo etiam tertiò, si me advoces vivum, si contingat iteratam audire vocem Ruthenis ob dogmata Sacra nobiscum communia insultantium: Deus enim vocat, dum provocat alius, qui dogmata ab ipso Ecclesiæ tradita oppugnat.

Non Ruthenus, sed Hispanus, ex aliis Europæ fini- 22.
bus, non tam *Javorskii*, quàm operis ejusdem catholicissimè compositi vindex ostendor. Non *Lithuanus* aut *Moskuensis*; sed *Cathalanus*, *Barchinonensis*, cui licuit, cunctorum pace inter Ruthenos vivere, horúmque pietatem, contra Lutheranorum scriptorum mendaciâ, visu dignoscere; (de qua, favente Deo, fusius opusculum parat, publicandum si necessaria suppetant.) Non *Jesuita*, aut illorum discipulus, licèt horum scriptorum plurium venerator justissimus; sed *Dominicanus*, cui à pueritia aliam providit Patria scholam; cui à juventute, ante quindennium, Prædicatorum Ordini adscribi, horum Professoribus instrui contigit, instructuróque postea alios, *Angelici*

(m) 1. Reg. 3.

lici Doctoris S. Thomæ Aquinatis ſcriptis, *juramentô* opus fuit non ſemel obſtringi. Cui tandem, non objiciet *Apologiſta*, (ſicut imponit aliis pag. 11.) *aut pecuniâ corruptum, aut aliô vitæ hujus commodô* inductum, *Latinorum tenere Caſtra*, aut Græcorum, ſive Ruthenorum (orthodoxa quæ fuerint) tueri dogmata: qui imò conqueritur, ex Cathedra tum ſcholaſtica, tum Evangelica pulſus; & coætaneis & junioribus inter ſuos poſthabitus; in requirenda forſan juſtitia nec auditus; eò plus fortunâ deſertus, quò amicis præditus; chariſſimâ ſibi Patriâ exul; ſolâ Celſiſſimi Domini ejusdem *Excel. Ducis de Liria, Legati* apud Ruthenam Imperialem Aulam *Hiſpani*, cui in ſacris miniſtrat, ſingulari miſeratione contentus. Vis me (Apologiſta) clariùs noſcere? in hujus opuſculi fronte nomen non ſuppoſitum lege; in me vertatur calamus, Jeſuitis parce, Ruthenis nè iraſcaris: Catholicus Latinus, Religioſus ſimplex, indoctus apud ſuos loquitur, alia nè fingas. Si hic te vocat *hæreticum* non eſt tibi injurius; à celebratiſſimo *Barchinonenſi* Concive & *Epiſcopo S. Paciano* hoc didicit, cujus virtutem (n) *Eccleſia*, eloquentiam ſimul (o) *S. Hieronymus*, zelum in Novatianos (Lutheranus licet) *Pfafius* (p) non ſilent. Iſte, damnatis Novatianis, (q) Romæ per *Cornelium*, in Africa per *Cyprianum*, & Antiochiæ, per Græcorum Synodum, tres Epiſtolas ad *Simpronianum* Novatianæ ſectæ virum direxit, quas in Bibliotheca PP. tom. 4. licet inſpicere: in quarum prima diverſitatem *Catholicorum* ab *Acatholicis* ſtatuit; in tertia, *Simpronianum*, licèt hæreticum, *fratrem* nominat: quia inſtrui à *Paciano* quæreret; in ſecunda, conqueſto Simproniano, quia *hæreſis* eum notâſſet, ſic reſpondet: (r) *Re-*

fectum

(n) Martyrolog. Rom. 9. Martii. (o) S. Hieron. lib. de ſcr. Eccl. (p) Pfaf. hiſt. ſæc. 4. cap. 1. § 3. pag. 62. (q) Caranza fol. 18. & Krommaier. Cent. 3. pag. 137. (r) Vid. Biblioth. PP. in edit. Lugdun. 1677. tom. 4.

fectum esse te dicis prioribus Epistolis meis, & statim addis: ME CUM AMARITUDINE RESPONDISSE, QUÆ SCRIPSERIM: si amara reficiunt, quid dulcia operentur ignoro, nisi quia, ut medicinæ poculis, solet amarum magis, quàm dulce medicari. Sed quæso, literæ meæ, an aliquo felle resperſæ sint? quid superbum, quid insuave responderim? PLURES ME, ais, HÆRESES NOMINASSE, de quibus nemo quæsierit: AGE, QUID TUA, SI HÆRETICUS NON ERAS? qui cùm de fide nostra moveres quæstionem, & doceri velle te diceres, scripsi, IGNORANTIÆ CAUSAS ESSE MULTIPLICES, QUÆ VOS POTISSIMUM HABERET, ut aperires, nè retexendis pluribus æstuarem. Hæretifices num judicabuntur, quilibet *Javorskium* edocuerint? conviciosus aut *Javorskius*, quia *Lutheranismum* appellaverit *hæresim?* obtrectatorésve, opus commendantes *Javorskii*, dum impingentes Latinos Novatores in petram fidei vocârint heterodoxos? Absit. *Agite, QUID VESTRA, SI HÆRETICI NON ESTIS? --- IGNORANTIÆ CAUSAS ESSE MULTIPLICES, QUÆ VOS POTISSIMUM HABEAT,* respondet *Barchinonensis* Antiquior Ecclesiæ Pater, sæculi 4. in Patrum doctrinâ, nec mordacitate Lutheranâ corrupti, sæculi, inquam, quod (Lutheranô teste) (s) *paries integerrimus est, Patres puriores, ab impurioribus discernens.* (quis non horret hæc legere?) Addétque *Barchinonensis* novissimus, Novatorum à duobus sæculis præcipuam *IGNORANTIÆ CAUSAM; superbiam*, inquam, radicem malorum omnium, cujus (t) *initium est apostatare à Deo; ipsa* autem *initium omnis peccati*: hâc, docentes Ecclesiam fallibilem, & præ illa, (u) *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt;* mirabili jactantiæ genere, ut non possint sapientes putari, quin appareant scelerati (x) *dimittentes legem*

(s) Krommaier. Cent. 5. §. status Ecclesiæ. (t) Eccli. 10. 14. 15. (u) Rom. 1. 22. (x) Prov. 1. 8.

legem matris eorum ; ſed quid mirum ? (y) *ſtultus homo deſpicit matrem ſuam ; -- filii* autem *ſapientiæ Eccleſia juſtorum : -- Deus enim judicium Matris exquirens firmavit in filios.*

23. Nec prætermittendum igitur, *Apologiſtæ* immediatum, ſed inconſequentiſſimum ſtultiloquium. *Id* (ait pag. 9.) *non ſinè ratione aliquis miretur, quòd ſtatim ac de Beato* (miſerrimo legamus) *Martino Luthero loqui incipit* (Javorskius) *ſe Ruthenicæ Eccleſiæ addictum eſſe, ejúsque ſacra ſequi parum memor eſſe videatur ; ſi modò ſeriò illi addictus fuit, & non potiùs inter proditores ejus atque transfugas numerandus ſit.* Mira certè hebetudo incapax ad Sophiſmata ! unde proditionem infert *Javorskii*, ſeu fugam in Latinorum Caſtra ? audite ſignum : quia de *Luthero* hæc protulit : *Novus adversùs ſanctam Eccleſiam Goliath inſurrexit Martinus Lutherus contumeliis laceſſens exercitum Dei vivi, & varia convitia, atque probra adversùs Sponſam Chriſti, quaſi rugitu ſuo eructans.* Nunc oſtendit ictum (z) *lapidis* Javorskiani *infixi in fronte*, cêu in Lutheranorum cerebro, *Apologiſtæ* ità inſanientis ſtupiditas. Utinam ſic poſſemus inferre : ergo quotquot ex Græcis, & Ruthenis, *Lutherum* inimicum Eccleſiæ protulerunt, Latinorum ſeu Romanorum Eccleſiam *veram SponſamChriſti* faſſi ſunt, *exercitúmque Dei vivi*, cujus Caſtra ſequuti fuerint ? ſi conſequentiam capit, nullus *Lutheranus*, hanc Romanæ Eccleſiæ laudem concedet, ad quam, Græcos non deſideramus *transfugas* ſed *concordes* : nec Græci Latinam, nec Latini Græcam, *Eccleſiam Chriſti* diffitemur (nî garrulonum pauciſſimi :) pugna tota fuit & eſt, circa *exercitûs* hujus *Dei vivi*, vice Chriſti *Domini* (dum (a) *abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reverti*) Generaliſſimum *Ducem* : veſtros cœtus (ô Lutherani) etiam *Eccleſiæ* nominis indignos ſentimus & Latini & Græci : noſtro-

(y) Prov. 15. 20. (z) 1. Reg. 17. 49. (a) Luc. 19. 12.

ſtrorum, retentis ritibus, Sacramentis, diſciplinâ modiciſſimè conciliatâ, *unum* erit, ſicut fuit, Corpus myſticum Chriſti; veſtrorum, cum neutris ſequi poteſt conſortium, nì recipiſcentes, etiam nomen *Lutherani* aut *Calviniſtæ* anathematizetis nobiſcum. Nedum non vitantur à nobis Græci, aluntur, educantur Romæ, piis ſumptibus, Templis, Collegiis, quorum miniſteriô utitur in Pontificali majori officio Papa Romanus; Græci ſapientes, Latinos non reſpuunt, imò horum ſacra venerantur, ſicut à me celebrato ſacro Miſſæ ſacrificio in magno Monaſterio Trinitatis (*TROITZA*) devotiſſimè aſtitiſſe Archimandritam cum pluribus, teſtabor millies; ſícque antè ſcripſit confrater meus *Jacobus Goar*: (b) *Epiſcopi, & Enoritæ, quos Parochos vocamus, ſi reſciverint aliquas è gregibus ſuis oves ad Eccleſiæ Latinæ paſcua & communionis illius pabula divertiſſe, non moleſtè ferunt, imò tacitè commendant, quamdiu non condemnant publicè. Addo, non quod vidi, ſed quod ipſe feci: manibus meis in omnium præſentiâ, palàm & in Eccleſiæ conſpectu, Diaconis Græcis ſacram ſynaxim ſub unicâ ſpecie porrexi; quod ubi intellexit illorum Epiſcopus nullatenus improbavit* (& cætera quæ eleganter proſequitur ex Sapientiſſimo *Cyrillo* Archi-Epiſcopo Trapezuntino, cum quo rem tractaverat) addens poſt pauca: *Nihilominus tamen (quod notatu dignum eſt) quamquam doceant, ſumendam ſub utraque ſpecie communionem, ut impleatur, aiunt, præceptum Domini his ipſius verbis expreſſum* (Joan. 6. 54.) *Niſi manducaveritis, &c. & propter eandem præcepti virtutem, ſimiliter parvulis tradendam aſſerant -- putant, illos mandatum Divinum implere, ſolâ vini conſecrati ſumptione, quâ, veram recipiunt Communionem, & Corporis ſanguiniſque Domini participes efficiuntur.* Totum igitur Chriſtum, & ſanguinem

 ſub

(b) Apud *Bartoldum Nibuſium* adnotat. in Diſſert. Leonis Allat. de Miſ. Præſanct. Annot. 2. in fine apud *Allatium*, pap. 1659.

ſub Panis, & Corpus ſub vini ſpeciebus fatentur, út contendentes adhuc ſub utraque ſumendum, niſi motivum excuſet, nobiscum Latinis ſentiunt, qui tantùm Calicem ſæcularibus interdiximus, quia jam ante *Lutherum* negabatur ab hæreticis vera communio, & vera Chriſti præſentia niſi in duplici ſpecie, unde transſubſtantiatio tollebatur. Sacramenta, hinc, noſtra Græci non reſpuunt, eadem numerant, nobísque, uniuscujusque retentô ritu, in ipſis communicant, nósque cum ipſis. Contingètne id vobis, ô Lutherani, qui *Eucharistiâ* confeſsâ, ob defectum Miniſtrorum, carentes, ſolùm *Baptiſmi* Sacramentum recipitis? Non opus eſt *Græcorum transfugam* fieri *Javorskium*, aut Romanis accedere, ut Lutheranos *extra veram Eccleſiam, veræ Chriſti Sponſæ inimicos & exercitûs Dei vivi,* dixerit, *deſertores*: ſubitò *Apologiſta* hic ineptiſſimus, ejúsque fœderati, audient, quomodo de ipſis Græci & Rutheni omni tempore judicaverint, quin ad Romanam Eccleſiam acceſſerint: & taliter ſcripſiſſe *Javorskium*, Apologiſtam non latuit, cùm ex illius præfatione verba transſcribens, (pag. 5. & 33.) inſinuatô *novô Goliath* in *Luthero*, proſſequitur: *ſcio, adverſarium hunc, arcum ſuum in Papam, & Romanam Eccleſiam intendiſſe, ſed tela ejus venenata & nos attingunt*: súntne hæc verba Romanæ addicti Eccleſiæ, an alterius Eccleſiæ ſe membrum dicentis expreſsè? Numquid à Græcis diſſimulandum eſt ſibi inflictum vulnus per *venenatum telum,* quia *Lutherus*, hoc forſan non prævidens, *in Papam & Romanam Eccleſiam intenderat arcum?* Si Græcos ſtuduiſſet nîl tangere, nec *Goliath* confoderetur ab ipſis, nec à Latinis proſcriberetur, ſed amaretur ùt Græcus: jam verò & Romani, & Græci icti, arcum ejus infringunt: quia utrique *tela* ejus *venenata* mortiferáque dignoſcunt. Hæc timens *Javorskius*, vitanda à ſuis *Ruthenis* ovibus docuit, quia non Romanus,
ſed

ſed Græcus, in *Luthero* profligando Romanum non horruit fœdus, in quo convenient cuncti *Græci Orthodoxi*; nec *Proditores*, nec *transfugæ*, ſed dogmata defendentes Univerſalis Eccleſiæ.

Coacervatâ Græcorum phalange (quorum nec unus 24.
Lutheranos hæreticos non dixerit) illis, ſatisfacere putat *Javorskio*, quia Romanæ Eccleſiæ *contradixerint*, *rejecerint*, *damnârintque* ipſam. (pag. 10.) Interrogemus *Apologiſtam*: an relati, Romanam Eccleſiam taxârunt, quòd *Lutheranos* damnaverit? Nónne illi plura Romanorum dogmata impugnant, quæ adhuc Lutherani conſervant? Hi omnes Eccleſiam Græcam totam componunt, ut *Javorskius* non bene ſcripſerit, niſi eorum repeteret dicteria in Romanam Eccleſiam? Credo, Apologiſtam hunc nec titulos legiſſe tractatuum quos comprehendit *Javorskius*. Impugnavêre Græci illi (c) *adorationem imaginum? Crucis ſignum? ſanctorum venerandas reliquias? Euchariſtiæ* realem & ſolam *Chriſti præſentiam? preces pro mortuis? Traditiones Eccleſiaſticas? Sacram liturgiam? Jejunia præcepta? Bonorum operum meritum?* De his tantùm ſcripſit *Javorskius*, & de his eadem docuêre cum Latinis Catholicis quotquot producit *Apologiſta* contra Romanam Eccleſiam teſtes. Hæc ſuſtinet Eccleſia Romana, hæc confitentur Græci; hæc contra *Lutherum*, ſuadet *Javorskius Ruthenis*. Quid igitur *Apologiſta* teſtes adducit ſecum in Romanam Eccleſiam calumniatores? ſi hujus eſſet loci, obtrectationes eorum, quos adducit, pro Romana ſede retunderem, ſed jam alii fecêre Græci ſimiliter, quos *pecuniâ corruptos* accuſat (pag. 11.) quidnî de me, pauperrimo etſi, eadem fingeret, aut ſaltèm ex cupiditate me ſcribere venditaret? ſi *Buddeatus* hic *Apologiſta*, me hujus vitæ

 com-

(c) Sunt tituli tractatuum, quibus comprehenditur totus Javorskii Liber: *Petra Fidei*.

commodis inducendum judicat, ut Ruthenos à Lutheranismi tabe præservandos procurem, quislibet me noverit, dicet eum deceptum.

SECTIO II.

1. TEtram jam Ecclesiæ Romanæ faciem, ut eam repudiatam probet, quam negare nequit, vel non audet, antiquam Christi Sponsam, depicturus *Apologista*, conatur persuadere inter *Lutheranos* reformatam, redditam Christo pulchram; quam *Romani* antea fecissent deformem. Hoc *Ruthenis haud noscentibus*, (ùt ait pag. 11.) ostensurus, (usque ad pag. 35.) colores triturus, ex Romanæ Ecclesiæ addictis scriptoribus (ùt ait) plura congerit, quæ vocat *Selectiora Testimonia* inter majoris numeri veritates ab aliis jam Lutheranis collectas. Nec ità Lutheranam Ecclesiam, ùt opus erat, depingit, sicut Romanam decolorare adlaborat. Examinatis quibus utitur ad sordidandam veram, dabo sibi colores ex Græcis & Ruthenis, quibus ficta Lutheri Ecclesia depingatur ad vivum. Corruptos mores Ecclesiasticorum, sæcularium, Prælatorum, Pontificum quorundam, objecturus, depinxisse putat Ecclesiam, à Christi thalamo rejiciendam. Putavítne *Apologista*, Ruthenos nescire, omni sæculô in sanctâ Ecclesiâ (d) *permixtos* (ùt loquitur *Gregorius*) *malos cum bonis, reprobos cum electis*, fuisse? Non extare in Russiâ, sæculorum antiquissimorum Scriptores sanctissimos, qui semper in grassantia vitia Catholicorum invecti sunt? Non cani in Ruthenâ Ecclesiâ Evangelium præcipientis Christi: (e) *Super cathedram Moysi sedentium* licèt *Scribarum & Pharisæorum*, *servanda quæcumque dicerent, minimè imitanda mala, quæ facerent?* Ignorant Rutheni, (f) *simile esse*

(d) S. Gregor. hom. 12. in Evang. (e) Math. 23. 2. (f) Math. 25. 2.

esse Regnum cœlorum (g) (præsentis temporis idest *Ecclesiam*) *decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis?* -- (h) *sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti*: in quâ (nè dicar extra *scripturam expressam* loqui) *separare malos de medio justorum*, differtur *Angelis, in consummatione sæculi?* Ruthenos latebit damnata in Conciliis, Romano I. & Carthaginensibus pluribus, jam sæculô 4. *Donati* hæresis; *extinctæ* & *peremptæ* per totum terrarum orbem *Ecclesiæ, manentis apud solos Donatistas in Africa?* hunc primum illorum errorem (omissis Catholicis Scriptoribus) memorat Lutheranus (i) *Pfafius*: quem iterum contra *Joannem Huss* damnatum in Conc. Constantiensi Sess. 15. resuscitavit *Lutherus* (testibus ejusdem (k) discipulis;) restrinxit ad *Prædestinatos Calvinus*, pro quibus tantùm, Christum esse mortuum deliravit; limitant *Anabaptistæ (Lutheranorum* quoque *genimina) ad perfectos.* Etsi itaq; in Romanâ Ecclesiâ fateremur peccata, de quibus nos accusant impostores, quos *Apologista* accumulat, quid contra *veram Ecclesiam* inferret? quam certè non in solo Romano cœtu, deformare voluit, & superstitiosam esse blasphemavit *Lutherus*, sed in tota Orientis & Occidentis *Sanctitate*, quâ profitetur dogmata, quæ contra Lutheranos, *Ruthenis* commendat *Javorskius*. Leges, Canones, decreta Ecclesiæ oporteret adduci, confessionem à vera fide deviantem; ut (sicut *Javorskius* in Lutheranis demonstrat) Ecclesia Christi Sponsa non manserit. Neminem reum probant maledici, sed hos congessit *Apologista pro Lutheranâ Ecclesiâ*, sperans, hanc videndam, à *Ruthenis*, aliorum fictis sordibus mundam: nec tamen *Rutheni* credunt, nec ignorant perditæ fidei Lutheranam fœcem, nec dubitant quod utrobique Ecclesia canonibus Sa-

(g) S. Gregor. hom. cit. (h) Math. 13. (i) Pfafius ad Sæc. 4. cap. 4. §. 3. pag. 87. (k) vid. ad longum Hulsemannum, extens. Breviar. Theol. cap. 17. §. 11. sequ.

Sacris, corruptos mores plurium ſupponens, curavit corrigere; qui ſi non defuerint, *pulcherrimam* contemplabuntur Rutheni, nobiscum, *Eccleſiam;* in (l) *areâ*, ubi *cum paleis triticum* - - (m) *agro*, in quo *zizania* ab inimico ſuperſeminata, usque ad meſſem, *cum bono tritico*, ſinuntur creſcere - - (n) *ovili*, capiente *hœdos cum ovibus* - - (o) *domo*, tandem, *magnâ*, in quâ *non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea; ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.*

2. Si allegatos teſtes ab *Apologiſtâ* examinemus, ipſis Lutheranis pudor erit, quòd homines partim ignotos, partim damnatos, nullum, quod proponit convincentem, adduxerit. Et antequam ex *Romanenſibus* (ùt ait *Apologiſta*) defectus individuorum apponat, ipſius *Lutheri* cenſuram, circa Eccleſiam Romanam, tempore ſuæ reformationis prætenſæ, audiat. Videántque ſequaces ejusdem, cujus *ſponſæ* fuerint *transfugæ*, ſequaces novæ corruptæ *diaboli ſponſæ. Lutherus* (lib. contr. *Anabaptiſtas.* tom. 4. *Jenæ Germanicè* pag. 320.) ait: Nos *fatemur, ſub Papatu eſſe plurimos bonos Chriſtianos, imò omne bonum Chriſtianum; atque etiam, illinc ad Nos deveniſſe: quippe in Papatu eſſe veram Scripturam Sacram, verum Baptiſmum, verum Sacramentum Altaris, veras Claves ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi Officium, verum Catechiſmum, ùt ſunt: Oratio Dominica, Decem Præcepta, Articuli Fidei; dico inſuper, ſub Papatu, veram Chriſtianitatem, imò VEL NUCLEUM ESSE CHRISTIANITATIS.* Unde *Bellarminus* (lib. 4. de notis Eccleſiæ. cap. 26.) infert: *Si nobis nucleum tribuit, certè nîl ſibi ſervat, niſi putamina, & corticem.* Mendax igitur ipſe *Lutherus*, in ſui teſtimonium, ſcribit (tom. 8. fol. 114.) *confitemur, quòd ab Eccleſia, ſub vobis,*

(l) Math. 3. 12. (m) Math. 13. à v. 24. (n) Math. 25. 32. (o) 2. Tim. 2. 20.

vobis, (id eſt Catholicis) *omnia accepérimus.* Sed jam ad Romanenſes, quibus Apologiſta fidit, tranſeamus.

Primus *Guillelmus* ille *Durantus*, qui annô 1311. conſcripſiſſe ſupponitur; vel parvihabitus fuit in Galliâ ipsâ usque ad duo, & ultra ſequuta ſæcula, Pariſiis annô 1545.; quô aperta *Tridentina Synodo*, Proteſtantibus frænum mordentibus, luci datum primò dicitur opus ſub ejus nomine, *de modo celebrandi generalis Concilii;* vel potiùs in Synodum illam, & Romanam Sedem debacchaturus quidam, ducentorum triginta duorum annorum memoriam à nemine timens, virum illum Illuſtriſſimum ſe finxit, lutum facturus de illius jam reſolutis cineribus. Quidquid fuerit, nîl opus illud detractorium veræ Eccleſiæ obſiſtere, quò, ipſam à *Sponſa Chriſti* cecidiſſe probet, ex dictis liquido conſtat. 3.

Sequitur *Alvarus Pelagius*, (quem illaudabilem nunquam dicam, ob multa, quæ perpeſſus ſum mala, quia Concionatoris Sacri officiô fungens, ipſius, acrem in milites protulerim aliquando ſententiam: nemini ob ea non parco, nec authorem deteſtor) Eruditiſſimus hic *Hiſpanus*, doctrinâ refertus, zelo etiam contingibilia peccata plangens, in omnem ſtatum invehitur; num quando lib. 2. art. 1. & 28. (citatus in *Apologiæ* pag. 14.) vitia Clericorum exprobrat, Romanam Eccleſiam iſta approbare dixit, quam *plangentem* in cunctis defectibus, duobus libris depinxit? An *Clericorum caſtitatem*, quam labefactam, lacrimis ſuadet, integram reſtituit obſcenitatum exemplar Lutherus? unum nè ſperat, *Apologiſta*, *Ruthenum*, qui *Lutheri Monachi* ſceleſtum conjugium, *& Catharinæ à Boren Monialis*, non dixerit ſacrilegum Concubinatum, & Apoſtaticum Scortum? Si liber ille duplex *de Planctu Eccleſiæ*, inſpiciatur, ſi conſulantur Scriptores illius ævi, conſtat, Authorem, librum illum compoſuiſſe, ut apud 4.

Pontificem, suo *Franciscanorum* Ordini decus reficeret, quod *Petrus* de *Corbario*, *Minorita* pariter, *Pseudo-Papa*, ope imperantis *Ludovici Bavari*, Schismaticus, quodammodo minuerat. Opus incipit Author, commendans Ecclesiam; Romanæ Sedi obedientiam negatam à Principibus plangendam non minùs demonstrans: hoc si *Apologista* legisset, peccatis individuorum Ecclesiam Romanam corruptam ex *Pelagio Alvaro* non offerret, qui opus ipsum Pontifici Romano direxit. Veram (p) *Sponsam Dei Synagogam*, non negabat *Psaltes*, qui tamen canebat (q) *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*: antiquiórque *Alvarô Pelagiô*, *Joannes* (r) *sciens, quòd* (sub Christo) *ex Deo sumus*, (addidit) *& totus mundus in maligno positus est.* Potuit igitur *Pelagius Alvarus*, *Ecclesiam* peccata plangentem describere, & inde, esse veram *Christi Sponsam* confirmare.

5\. Succedit Apologistæ (pag. 15.) *Franciscus Petrarcha*, quin omittatur (pag. 13.) *Dantes Aligerius*. Uterque *Florentinus* adducitur (miror quod Apologista *Nicolai Machiavelli* Florentini pariter non meminerit, qui nec Deum noscens, Romanæ sedis & Religionis inter impugnatores caput extollit.) Utriusque illius meminit (r) *Lylius Giraldus* judiciosus Scriptorum Censor. De Patrarcha, ità: *in hoc, licet, quod temporum vitio scribendum putarim, JUDICII, MINUS SIT ET LIMÆ, multum tamen POETICI spiritus, habere videtur.* De *Dante* sic: *in eo, SALIS ET MORDACITATIS AD FASTIDIUM INTERDUM USQUE.* Quis, nisi mordacitatis amans, profanos Poetas ad seriam Ecclesiæ dignoscendam perfectionem attulerit? Nîl dixerimus *Apologistæ*, si *Bellarminum* scribentem contra *Dantem* objiceremus: quia igitur testes eos adduxit, au-

(p) Psal. 18. 6. (q) Psal. 13. 3. & 52. (r) Lyl. Giral. Synt. Poetar.

audiat de ipso *Dante*, *Petrarcham* : (s) *Dantes Aligerius*, *& ipse concivis nuper meus*, *vir vulgari eloquio clarissimus fuit*; *SED MORIBUS PARUM PER CONTUMACIAM*; *ET ORATIONE LIBERIOR*: *quàm delicatis*, *ac studiosis ætatis nostræ Principum auribus*, *atque oculis acceptum foret*; (ecce fidem duorum contestium, quàm Lutheranus *Plouen* in Censura authorum dedit authenticam) Amborum Satyricorum dedit (t) *Paulus Jovius* motivum, dum pro *Dante* scripsit eloquium: *Hunc Florentia*, *factiosa eô sæculô civitas*, *protulit* - - *quæ etiam supremæ potestatis octovirali Magistratu insignem*, *mox fatali conversa turbine* - - *tanquam sæva*, *& ingrata Patria proscriberet*. Nemini ignota sunt temporalia motiva, ob quæ *Florentia* bellis ferè obruta, & *FACTIOSA* tunc fuerit; hinc Scriptorum in Romanam sedem, illius ævi, ex Florentiâ producet cordatus neminem, quos *Patria* ipsa *proscribere* debuit, ut à bellis intestinis quiesceret.

Potiùs urgere *Apologista* voluit, (pag. 17.) cum *Joanne Charlierio de Gerson*, *Petri Alliacensis* discipulo, cujus authoritatem Parisiensis Cancellaria commendat, eruditionem scripta pandunt, zelum ferè cuncti commemorant; sed iste in *Constanciensi Synodo* nimiùs, potiùs turbavit, quàm pacificavit Ecclesiam, ob quod *Gallis*, præcipuis *Consiliorum Constant.* & *Basileensis* defensoribus, exosus, etiam à Cancellariâ dejectus, Regibus ingratus, *Lugduni*, senescens, obiit. Nemo sine nævo, sed nec speciosus in maculis: nulla talis in *Gersone* notari potest, ut Romanam Ecclesiam *Sponsam* Christi negaverit; quippe contradixisse non legitur damnationi *sessione 8.* latæ in articulos *Joan. Wicleff.* quorum 41. talis erat: (u) *non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter* 8.

(s) Apud *Ploven.* censura Author. pag. 422. (t) Paul. Jov. in elog. ap. eund. *Ploven.* (u) Caranza. sum. Conc. fol. 298.

ter alias Ecclesias. Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale; in quo, *negabat primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* De *defectibus Ecclesiasticorum,* de *reformatione Ecclesiæ per universale concilium*, quod *Gerson* scripserit, sustineri poterat: de *auferibilitate Papæ*, meliùs tacuisset; sed nîl contra Romanam Ecclesiam intulisse, quis dubitat? Pro Lutheranis fulciendis erroribus, quis somniavit? quanto minùs contra Ecclesiam generaliter *Sponsam Christi*, quam à *Lutheranismo*, elaboratâ *petrâ fidei*, illæsam servare procuravit *Javorskius?*

7. Quid *Petrus* de *Alliaco Cardinalis Cameracensis, Zabarella* & alii (pag. 17.) reformationem, quod procurarint Ecclesiæ? utinam ubicumque mala emmendentur, dicet *Javorskius*, & respondent *Apologistæ* huic, *Rutheni;* sed opportet præcaveri majora. Lutherana dogmata, *venenata tela* sunt in Ecclesiam totam, his occurri oportet per Ministros Ecclesiæ: Defectibus Romanorum fidelium non polluitur Christi grex per totum orbem extensus, quia si quosdam Roma sustulit, in plurium moribus, hos nunquam cæteris commendavit: nec hos defendit *Javorskius*, nec accusare ad se attinebat; tantùm dogmata fidei generalia sustinenda curavit. Si *Petri* hujus *de Alliaco* nævos, ex Catholico scriptore *Apologista* audiret, nec crederet: illos sumat, ex *Gerardo Joanne Vossio* (Authore nunquam Catholico, sed (x) à *Calvinismo* ad *Remonstrantes*, transfugâ, iterúmque ad *Calvinismum* reduce.) Hic de citato teste sic loquitur: (y) *mirum, tam turpiter hac in parte dedisse se hominem Christianum, eumque doctissimum, Petrum, dico, Alliacensem, Episcopum Cameracensem, qui in libro suo de concordia historiæ, & Astrologiæ Divinatricis, eti-*

(x) Ex Andrea Riveto. Hugo Grot. pag 68. apud cit. *Ploven.* cens. Auth. pag. 971.
(y) Gerard. Joan. Vos. (apud eundē Ploen. pag 446.) lib. de scient. Math. p. 214. 215.

etiam diluvium Noë, Natalem Domini, & miracula ejusdem, omniáque prodigia ex Astrologia præsciri ac prædici potuisse arbitratur: -- Quid mirum! omninò Cameracensis fuit Chronologiæ imperitissimus, ut vel arguit, quod Arianam hæresim cæpisse dicat Anno Chr. 700. quam verisimiliùs tunc extinctam dixisset. Auderet *Apologista* homines ità audaces contra Dei miracula, in testes producere, si vel ipsos, vel Scriptores sibi venerandos percurreret? Miror quod *Cameracensis*, Reformationem Ecclesiæ potius ab Astrologis non quæsiisset, quam ab Ecclesiæ Prælatis; aut si hanc in syderibus legere non potuit, quare illam quæsierit ab hominibus?

Nicolaum de *Clemangiis*, quem *Catalaunensem* addit *Apologista* (pag. 18.) præterirem; nisi nomen expressum Patriæ, Prælatum quendam *Ruthenum* doctissimum fefellisset, ut, illo, & mihi, & *Cathaloniæ* meæ *Provinciæ* exprobraret. Sciant igitur Rutheni, talem virum *Cathaloniam* non novisse; nec *Cathalanos* judicent ità allatrantes, ut authorem istum, qui à Papa usque ad minimum Clericum, ferè, bonum invenit neminem, nisi eos, qui partes Schismatici *Petri de Luna* tenacissimè sequebantur ut ipse; nec in undequaque celebri *Principatu* illo ità edocemur, ut ex pravis hominum moribus, *de corrupto Ecclesiæ statu* inconsequenter (sicut Nicolaus iste) scriberet aliquis: scimus quippe Theologi, & credimus omnes, posse corrumpi membra plurima, minimè purissimum Ecclesiæ corpus, quem Christus (z) conservare promisit. Fuit vir iste, ortus (a) in urbe *Campaniæ*, vulgò *CHAALON* (unde *Catalaunum* dicta Latinè, non curo) ad rippam *Matronæ* fluvii *(MARNE)* sita: Doctor Parisiensis, Archidiaconus *Bellocassi*, sive *Baiocæ (Baieux)* *Secre-* 8.

(z) Math. 16. 18. Luc. 22. 32. Math. 28. 20. &c. (a) Ex *Spondano*. Anno Chr. 1381. n. 6. & 1398. *Moreri* in addit. ad *Dictionaire*.

Secretarius Anti-Papæ ſupradicti *Petri de Luna*; qui ſcripſit de corrupto Eccleſiæ ſtatu, & quoddam aliud opuſculum - - Ecce ſanctos Eccleſiæ Patres, quos *Lutherani* colunt, vocatos teſtes veritatis! neſcientes diſtinguere inter Eccleſiam *afflictam*, & *corruptam*. Afligi, concuti, turbari, *cribrari ut triticum* poteſt Eccleſia ope *Sathanica*, apertis adverſus ipſam portis inferi; ſed corrumpi non ſinet aſſiſtrix Chriſti virtus, *usque ad conſummationem ſæculi*. Nullus igitur Ruthenus talem Nicolaum *Catalanum* credat, quando *Catalaunenſem* audit; ſicut Catalani non accipimus *Ruſſiam*, quando Lutherani (apud Joachimum Heſterberg. in cit. tract. de Eccleſia Waldenſium. Sect. 1. art. 3. §. 2.) ſcribunt: *Provinciam Ruthenam* quondam *Waldenſium hæreſi infectam*; ſed civitatem vulgò *Rodez* (Provinciæ *Tolistobii*, *Languedoc*) cujus incolæ apellari volunt *Ruteni*, ſicut *Chaalonenſes*, *Catalauni*. Nè tamen incaſſum, Nicolaum hunc, teſtem *Apologiſta* protulerit, teſtimonium hic referat de ante adducto *Petro Alliacenſi*, ut noſcamus ejusdem bonitatis homines, quorum, ſimilis ſimilem quærit. Iſte ergo; epiſtola 2. ad Anti-Papam Bened. 13. ipſi ſic conſulit: (b) *virum utique, ut breviter dicam* (Petrum Alliac. Card. Camerac.) *TE, TUISQUE MORIBUS DIGNISSIMUM - - hunc in pacis conciliis adhibe participem, in laboribus conſortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere, huic alteri fiducialiter omnia committe, & proculdubio non falleris; nec talem te Miniſtrum elegiſſe pigebit.* Sic Anti-Papæ Schismatico conſulitur ſuffragaturus Miniſter, per conteſtem, quem ad dignoſcendam Eccleſiam *Apologiſta* prodidit. Pudeat Lutheranos talibus edoceri, ut ab Eccleſiâ verâ receſſerint, nam ultimum Authorem ab *Apologiſta* adductum non memoro, qui nec quisnam fuerit ſcitur, nec cu-

(b) Apud cit. *Ploven.* cenſ. Auth. pag. 446.

cujusnam, nec aliis quàm Lutheranis notus, quorum malitiâ est cussus.

Ab authoribus privatis, ad Pontifices quosdam, ad Synodos, Ecclesiæ quietem, Schismatáque privanda procurantes, provocat *Apologista* (à pag. 22. ad 31.) quibus nec immorari oportet, cum mille farcinata ibi mendacia nutationem ad summum in *Petri* navi probarent, cessante procellâ sub *Eugenio 4.* in Florentino Concilio. Unde de *Constantiensi*, & *Basileensi* Synodis, notavit bene *Caranza:* (c) *quæ in his duabus Congregationibus Constantiensi, & Basileensi statuta sunt, non habent aliquod authoritatis robur, nisi dumtaxat illa, quæ in Bulla Martini 5. & Nicolai 5. Pontificiâ authoritate probata sunt.* Quievit inter Latinos Ecclesia, cunctis ad orthodoxæ unitatis cymbam redeuntibus, quasi per integrum sæculum, usque ad An. 1512. quô, dissipatâ *Conciliabuli Pisani* levi nubeculâ, cunctísque iterum reconciliatis Ecclesiæ, sperabatur undequaque serenitas. Sed væ! (d) *suscitatus* (scribit idem) sub Leone 10. *novus hæresiarches Martinus Lutherus - - nec quievit, donec Germaniam replevit novitatibus, & hæresibus. Hunc namque morem habent hæretici, quoties unô verbô veritatem contempserint, & à veritatis viâ aberraverint, in multos & varios errores labi. Uniformis enim res veritas, mendacium autem in varia distrahitur.* Item: *Annô 1525. Joannes Oecolampadius, Basileæ, & Zvinglius, primum omnium scriptis libellis, damnatum* (sæculo 11. (e) à *Nicolao 2.* in Synodo Sacerdotum *Lateranensi*, ibidem confessi, & reconciliati) *Berengarii* (*Andegavensis* Ecclesiæ Diaconi) *errorem renovarunt; in participatione Mensæ Dominicæ, non distribui verum Corpus, & Sanguinem Christi* (nisi in signo & figura) *tametsi annô supe-*

(c) Caranza.sum.Conc. fol.mihi 308 (d) idem ibid. fol.321. (e) Idem Caran. fol. 283.

ſuperiori, *idem hoc odioſum argumentum*, *inſanus homo*, *Andreas Caroloſtadius*, *jam antea propoſuerat*. Ecce unde durans adhuc novorum nebulonum acies ortum ducit, quæ Latinam Eccleſiam Apoſtaticè deſerens, venenifer Veſparum ſtolus, apum *Græcarum*, & *Ruthenarum* examina, murmurillis in Romanam Eccleſiam ſparſis, conatur ſeducere! Cautè igitur *venenatos* horum, *Javorskius*, detexit aculeos, *Ruthenis Fidei petrâ* defenſis; quia vidit: (f) *quoniam Secta parit Sectam*, *Germaniam divexatam à multitudine Sectarum & Hæreſeon.* Hos extra Eccleſiæ navim ejectos, inque errorum pelagus à ſæculis duobus præcipites, exaudiri à *Ruthenis* intendit *Apologiſta*, cum illis in Romanam Eccleſiam ululans, in Prælatos, in totum & Eccleſiæ corpus inſaniens. Reſpondebit *Bernardus* hodie, Ruthenorum nomine, quod olim mellifluus ejusdem Patronus, propoſitâ eâdem *Lutheranâ* ſtoliditate, *Waldenſibus*: (g) *Jam verò, qui ECCLESIAM NON AGNOSCUNT, non eſt mirum, ſi ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi Inſtituta non recipiunt, ſi Sacramenta contemnunt, ſi Mandatis non obediunt. PECCATORES, inquiunt, ſunt APOSTOLICI, ARCHI-EPISCOPI, EPISCOPI, PRESBYTERI, ac per hoc, nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis; nunquam duo iſta conveniunt, Epiſcopum eſſe, & peccatorem, falſum eſt.* (En quod ex Waldenſibus *Apologiſta* repetit. Reſponſum audiat) *Epiſcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum, mortis dicebat ſententiam? ſi negas Epiſcopum, arguet te teſtimonium Joannis, qui, eum, in teſtimonium ſui Pontificatûs, etiam prophetâſſe refert. Apoſtolus erat Judas, & licet avarus & ſceleratus, electus tamen à Domino: an tu de illius Apoſtolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonnè ego, inquit, vos Duodecim elegi? & unus ex vobis diabolus eſt. Audis eundem electum Apoſtolum,*

(f) Idem ubi ſup. fol. 321. (g) S. Bernard. Serm. 66. in Cant. n. 11.

lum, & extitisse diabolum; & negas posse esse Episcopum, qui peccator est? super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem & dicentem: quæ dicunt facite. Patet ergo, quod quamvis scribæ, quamvis Pharisæi, quamvis videlicet maximi peccatores, propter Cathedram Moysi, ad eos quoque, nihilominus pertinet, quod item dixit, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.

Nec dubito *Apologistam* responsurum, se, non ex so- 10.
lis defectibus Prælatorum & Sacerdorum, probare Ecclesiã, *cum qua Luthero res fuit*, à Sponsâ Christi cecidisse; sed, his ideò addidit *errores* & *superstitiones*, tales quas esse docet & sustinet: quare impudentior prossequitur (pag. 31.) *Hæcce quæ hucusque attulimus testimonia -- qui paulò accuratiùs ponderaverit, facilè perspiciet, Ecclesiam istam Romanam, tot ERRORIBUS*, tot *VITIIS*, *omni insuper SUPERSTITIONIS genere pollutam, atque contaminatam, quâ cum Luthero res fuit, adeô exercitum Dei vivi, prout Javorskio videtur, atque Sponsam Christi dici non posse, ut potiùs nemini vitio verti queat, si eodem quo Javorskius, sed longe justiori zelo abreptus, eam, prout istum in modum corrupta & depravata fuit, EXERCITUM DRACONIS, & SPONSAM DIABOLI, dicendam contendat.* Audivimus *elatum* istum hominem (h) *maledicentem Israël* (quem ab initio proposuimus:) nullo opus habemus contra eum *Jonatha*; jam vir simplex ipse se jugulat. *Errores*, & *Superstitiones*, quas Romanensium defectibus, probaturus corruptionem *Romanæ* Ecclesiæ, addit, sunt *Sacra jejunia*; *Ecclesiasticas traditiones*; *cultum sanctarum imaginum*; quæ in *Apologiæ* progressu oppugnat: si has proponit Ruthenis Romanæ Ecclesiæ fœditates, sperat corruptor iste, concessuros sibi

(h) 2.Reg. 21. 20. & 1.Paral 20. 6.

Ruthenos Ecclesiam nostram *Sponsam Diaboli?* aut *Draconis exercitum?* Pulchritudinem hanc *Sponsæ* esse *Christi* demontrabo inferiùs; Pro nunc sufficiat inferre; quod, juxta *Apologistam*, etiam nolens, Romanam Ecclesiam Sponsam mansisse Christi manifestavit *Javorskius;* dum scribens in defensionem *jejuniorum, traditionum*, & *cultus imaginum*, omnem turpitudinem de quâ Lutheranus hic nos accusat, ostendit *Javorskius*, esse, non *Romanæ*, quam non nominat, sed totius Ecclesiæ veræ decorem. Fraudulentus ille blasphematurus in Ecclesiam totam, non audens Ruthenam expresse sic apellitare, ob eâdem motiva de quibus Rutheni gloriantur, Romanam vocavit *exercitum Draconis* & *Sponsam Diaboli*. Quisnam jam erit Ruthenus nisi ad Lutheranos transfuga, qui *Javorskio* in malum vertat, si Romana Ecclesia comprehenditur in (i) *tota* illa *pulchra*, cujus dotes, in sacris retentis dogmatibus, opus Javorskii commendat? Ipse *Apologista* compertum reddit, quod: *arcum intendens adversarius hic* (totius Ecclesiæ) *in Romanos*, (Lutherus) *venenata tela* emisit, *quæ etiam Græcos & Ruthenos attingunt;* ut iterum (pag. 33.) ex *Javorskio* repetit. *Philippus Melanchton* (prossequitur Apologista) *& nostrates, non semel arctiorem cum Ecclesiâ Græcâ conjunctionem quæsierunt* -- habito cum *Demetrio* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, *Wittebergæ*, colloquio, cui tradita fuerit ad *Josephum* Patriarcham Epistola; sicut instantibus *Theologis Tubingensibus*, missâ ad sequutos Patriarchas Lutheranæ fidei confessione, per *Hyeremiam* retusâ. Quomodo (sciscitor ab Apologista) hanc intendistis Lutherani *conjunctionem*? Vestrum cum Ecclesiâ Græcâ? ô apertum mendacium! Græcorum vobiscum? eô tendebat cogitata vestra in Latinos vindicta, etsi stupida. Legantur (k) Acta ista,

(i) Cant. 4. 7. (k) Impressa Wittebergæ. Græcè & Latin. in fol. sumpt. hæred. Joan. Cratonis.

ista, triplicis, vestrum ad *Hyeremiam*, istiúsque ad vos repellendos, scripturæ. *Apologista* ipse vos convincit, quando (pag 34.) subjungit: *Dogmata itaque nostra à Græcorum, & Ruthenorum placitis diversa, uti perquam inique à Javorskio tela vocantur; ità multò minùs venenata dici possunt, nisi hoc ità intelligas; QUOD AD EXTINGUENDOS ERRORES, & SUPERSTITIONEM ENECANDAM VALEANT*: quibus, venenatiora tela charitas Lutherana nequit emittere, quam fidei matricida, avitæ Græcorum veræ Relligionis dogmata, ut Rutheni seducantur, *ERRORES & SUPERSTITIONEM VOCARE.* Hæc est, non *conjunctio*, quàm Lutherani, millies rejecti à Græcis, quærunt à Ruthenis, sed *corruptio* horum secum, quam nunquam Deus permittat, nè crassiûs excrementosa crescat *SPONSA DIABOLI*, augeatúrve *DRACONIS EXERCITUS.*

Et siquidem *Apologista*, ex *Augustanæ Confessioni* dato à *Græcis* responso, infert (pag. 34.) istos & *Ruthenos*, *à Romanâ magis quàm à Lutheranorum Ecclesiâ dissentire*, potiúsque ad hos, quàm ad nostram accessuros: Liceat, ex responsis *Hieremiæ* Patriarchæ, (non à nostratibus, sed à Lutherano (l) *Krommaiero* relatis) ad *articulos*, & *abusus* Sacro-pravæ illius *Augustanæ* Lutheranorum Regulæ, veritatem elicere; non ut inferatur Græcorum cum Romanis unitas, quæ in tantùm Lutheranum Apologistam torquet; sed ut ipsorum à Lutheranâ tabe præservata puritas innotescat. (m) *Articulo 1.* unitatem essentiæ, & Personarum Trinitatem in Deo, Catholicissimè fatemur cuncti - - In Art. 2., Patriarcha, peccatum originale à cunctis contractum, per baptismum tollendum, confirmat; sed Sacramentum Confirmationis, Chrismate sacro, quod 11.

 Lu-

(l) Kromaier. incidenter, Cent. 5. §. *Status Ecclesiarum Orientalium.* pag. 281. sequ. (m) Augustana Confessio integra apud Cunradi Dieterici. inst. Cathechet. à pag 602.

Lutherani negant, conferendum, subaddit - - In 3. Christi vitæ, mortis, & gloriæ, dogmata fatetur; sed æquè, perpetuam post partum Diviniſſimum, integritatem virgineam Divinæ illius Matris, ex Traditione de Fide, exprimit, quam Lutherani fide tenendam negant - - In 4. de justificatione per solam fidem; Catholiciſſimè, Sacramentum Pænitentiæ, quam, *Subsidium ut extra Baptismum justificemur*, vocat, opponit - - In 5. ultrà Ministerium Verbi, & fidem; ex Sacrâ Scripturâ (sicut Romana Ecclesia) opera meritoria requirit - - In 6. iterum, *Pænitentiâ accuratâ, lachrimis, & aliis spiritualibus lustrationibus, QUÆ VERA SATISFACTIO SUNT*, gratiam perditam recuperandam, Lutheranis opponit. - - In 7. Sacramenta vera septem explicat, Lutheranis fatentibus sola duo - - Et in hoc, & - - In 8. Ecclesiam, non ex justis tantùm, sed ex bonis & malis componi docet - - In 9. solis Anabaptistis opponitur dum parvulos baptizandos statuit; (nam pueris dari communionem, potiùs ad ritus, quàm ad doctrinam spectare quis dubitat?) - - In 10. non solam præsentiam Christi in Eucharistia sacra, *Confeſſionistis*, concedit; sed *impanationem* Lutheranam rejicit, dum *metabolen;* transmutationem panis in Corpus Christi, sícque transsubstantiationem concedit; non descendente localiter Christo de cœlo in hostiam (ut nobis nugatur citatus *Krommaierus*) sed sacramentaliter, & de novo substantialiter tantùm, verborum prolatorum miraculo, ibi præsente; ultrà quod, monemur (à *Catechismo Romano* cap. 4. part. 2.) fideles; *nè curiosiùs inquiramus, quô pactô ea mutatio fieri poſſit:* (aliàs, fatentibus *Lutheranis* veram *præsentiam*, poſſent *Calvinistæ* objicere similem Christi de cœlo in manentem panem descensum, quando inter confratres est jurgium) - - In art. 11. relictâ absolutione privatâ, à *Confeſſionistis*, rejectáque, velut impoſſi-

possibili, individuali peccatorum manifestatione; nonné Patriarcha, hanc, quantùm memoriæ absolvendi hominis occurrerit, necessariam objecit, eò, quia Sacerdos est Medicus, contraria, contrariis oppositurus? imò est judex locò Christi, debens ex confessis ferre sententiam absolvendi aut retinendi peccata, ùt resolvit *Tridentinum* Concilium. Sess. 14. cap. 5. *quod judicium*, (n) à Christo stabilitum) *incognitâ causâ, exerceri non posset.* - - In 12. art. pœnitentiam lapsis post baptismum non denegandam, explicat de Pœnitentiâ Sacramentali, quam Lutherani negant: - - In 13. de Usu Sacramentorum, explicat Eucharistiæ administrationem, & usum in Sacris Missis *Basilii* & *Chrisostomi*, ubi Laudes B. Virginis prædicantur; Sanctorum omnium orationes petuntur; Orationésque pro Vivis & mortuis Deo fiunt: quæ omnia unô ore respuunt Lutherani. - - In 14. *ritè vocatos* concedit tantùm Ecclesiæ Ministros, ut dicit Confessio Aug. sed addit Græca: & *obsignatos canonicè*, id est ordinatos per verum ordinis Sacramentum, quod Augustani respuunt. - - In 15. approbat omnes Ritus Ecclesiasticos, nullùmque ex approbatis peccatum implicare, ùt *Augustani* dicebant, affirmat: nec adversari Evangelio, aut Doctrinæ fidei, traditiones Ecclesiasticas institutas ad placandum Deum, ut Sanctorum Cultum, Solemnitatem, Invocationem, Jejunia, ad Satisfactionem pro peccatis, & promerendam Dei gratiam, & votorum Deo factorum adimpletionem: in quæ omnia blasphemat Augustana Confessio - - In 16. adhæret *Confessionistis*, circa civilis Magistratus authoritatem à Deo præceptam, eídémque, tanquam bonæ, Obedientiam servandam; sed laudans cum eisdem Nuptias, approbat Paupertatem Evangelicam, & Religiosam, in cujus commendationem, contra Luthera-

(n) Joan. 20. 23.

ranos opponit *Christi consilium* (o) *Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me* - - In 17. Judicium Christi extremum, bonorum & malorum, fatetur, in quo, nec Lurherani ab Ecclesiâ dissentiunt - - In is necessitatem Divinæ Gratiæ, salvo libero nostro arbitrio, exprimit, quæ est Doctrina totius Catholicæ Ecclesiæ. - - In 18. Deum non esse authorem peccati, Confessionistis consentit: addit tamen neminem naturâ, sed voluntate esse malum, quod non omnes Lutherani (p) concedent - - In art. 20. nedum *inutilia opera*, non vocat *& purilia*, jejunia, fraternitatem aut Monachatum, Peregrinationes, Cultus Sanctorum, Rosaria, & similia (sicut expresse *Confessionistæ* scripserant, opera licèt Decalogi, necessaria, non meritoria, statuentes) sed iterum bona opera non solùm Præcepta, sed etiam Consilii, & Supererogationis, taliter commendat, ut Lutheranos plus quàm ipsis placuerit, taxet - - In 21. tandem fatetur Patriarcha, & Græca, imò & tota Ecclesia, *Latriæ* cultum *Dei* proprium; sed contra *Confessionistas* (nedum memoriam Sanctorum imitabilium laudat) sed cultum, quem dicimus *Duliæ*, id est delatum Sanctis ob eorum virtutes; quas cùm fateamur à Deo participatas, etiam ad Deum reducitur, cultus, quô præcipit Deus (q) *laudari ipsum in Sanctis*; itémque ipsos *Mediatores* ad Deum pro nobis statuit, invocandòsque, ut apud Deum pro nobis tanquam ejusdem amici, & in ipsius jam inamisibili gratiâ, intercedant; ità ùt indè, nedum ipsi, sed eorum imagines, venerari, & in ipsis adorari & coli sanctos omnes, & laudet, & persuadeat. - - Ad septem alios articulos, quos circa ceremonialia, tanquam abusus Ecclesiæ, objecit Romanis *Augustana Confessio*, Græcorum mentem

(o) Math. 19. 21. (p) Vid. Kromaier. loco cit. in Confessionis relatione, & Patr. Hyerem. responso, pag. 288. (q) Psal. 150. 1.

tem ità explicuit Patriarcha -- Ad 1. de *utraque specie sumendâ in Eucharistiâ*, affirmativè, juxtà Græcorum morem respondet; sed ità alienus à Lutheranorum mente, ut constare potest ex jam à nobis adductis. *Confessionistæ* addunt in fine art. -- *Et quia divisio Sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hactenùs fieri solita est*, (quâ scilicet defertur solemniter panis solus consecratus, in speciali festo Sanctissimi Corporis Christi inter Latinos.) Aliud est negare Christi præsentiam manentis in Sacramento (ut supponunt *Confessionistæ*) sub quavis specie; aliud quod ex præcepto teneamur utramque sumere. Primum est *Lutheranorum* dogma, quod nunquam tenuere Græci; imò integrè transmutari unamquamque, & transubstantiari in Christum, habent ut dogma Catholicum, impertientes pueris unam solam, tanquam integrum Sacramentum, & non reprobantes solam Latinorum hostiam, ut suprà adduximus ex fidedignissimo nostro *Francisco Goario*. Secundùm habetur inter ipsos ut opinio, quàm servant Græci in praxi; nec contrarium præcepisset Ecclesia Romana (r) cunctis *Laicis & Præsbyteris non conficientibus*, nisi ob negatam ab hæreticis veram, sub unâ specie, Sacramenti perceptionem, sicut nunquam Græcis Romanæ Ecclesiæ unitis, usum calicis, & ritum Græcum interdixit. Nec ignoramus Latini Romani, teneri ex præcepto Christi, explicato per Paulum: (s) *Hoc facite, &c.* sub utraque specie Sacramentum conficere: sentimúsque, nemini, nullóque casu, dispensabilem integritatem *incruenti sacrificii*, quô, sicut Christus in Cœna, representamus cruentum Crucis, (t) separando non in re, sed in signo Verborum & Sacrorum symbolorum, sanguinem à Corpore, quo-

(r) Conc. Trident. Sef. 21. c. 2. (s) 1. Cor. 11. 24. 25. (t) Tridentinum ibid. & omnes Theol. Catholici cum S. Th. Aqu. 3. p. ad longum.

quomodo realiter facta fuit mors Christi: sumere verò, quomodocunque sit, liberum reliquisse Christum Ecclesiæ, dicimus Latini (u) Catholici, usúmque solius *panis* consecrati inter fideles, tempore Apostolorum, non semel, producimus (Act. 2. 42.) *erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Act. 20. 7. similiter: solúmque *pane* sacro refectam sororem suam *Gorgoniam*, (x) memorat *Nazianzenus.* Nec ideò damnamus usum in Græcis., ritu quoque Apostolicô utramque sumendi speciem, fatentes tamen in unaquaque integrum Christum. Constat igitur, Patriarcham *Hieremiam*, in hoc articulo, Græcorum usum defendisse, *Lutheranam* verò doctrinam, cum Græcis omnibus, reprobâsse -- Ad 2. *de conjugio Sacerdotum:* approbat Sacerdotum Græcorum ante Ordinationem celebratum conjugium, quod nemo improbaûit hactenùs nostrûm authorum: nec Ecclesia Latina Presbyteros Græcos conjugatos interdixit à mulieribus; tantùm, sicut abstinent à Matrimonii usu diebus proprii ministerii, ità Latinos omni die ministraturos decrevit uxoribus nec copulandos; nemo enim cogitur ad Sacerdotium, unde neque ad castitatem servandam. Progressis Confessionistis ad objurgandum, transgrediendúmque ab emittentibus castitatis votum, respondet Patriarcha: qui verò castitatem voverint Deo, laudandi sunt, ad eámque servandam tenentur. Quislibet videat, num nobis, num Lutheranis in hoc docuisse contrarium -- Ad 3. *de Missa:* quis dubitat, Græcos damnaturos Missæ celebrationem, lucri, & quæstûs causa? num has approbabimus unquam Latini? sed nec Græci, nec Patriarchæ vitiabunt Missam Sacerdotis privatam, aut eleemosynam datam Sacerdoti ob Missam, ut qui Altari servit, de Altari vivere possit: nec nega-

(u) Trident. ibid. (x) S. Gregor. Naz. orat. de Gorg. Sor.

negabunt; Missæ Sacrificium satisfactorium esse pro peccatis, ex intrinseco valore infinito veri corporis & sanguinis Christi apud Deum oblati, contra quæ omnia blasphemabat Lutherana Confessio -- Ad 4. quam districtè, contra *Confessionistas*, necessariam doceat omnium, etiam mente solâ commissorum, peccatorum Confessionem expressam, sacerdoti fiendam, neminem latet; sed jam superiùs quoque dixerat. -- Ad 5. *de ciborum discrimine;* rejicit Patriarcha sinistram, *Confessionistarum*, circa sacras traditiones, plurium locorum scripturæ sacræ intelligentiam, commendàtque jejunia præcepta, & vitam Monasticam. -- Ad 6. ubi *Confessionistæ*, vota Monastica, docuerunt, mandato Dei opposita, impossibilis observantiæ, solvenda per conjugium, impium Dei cultum, nec in ipsis esse Christianam perfectionem, & plura alia deliramenta similia; quid respondendum erat ab illo, qui nisi Monachus fuisset ad Patriarchatum evectus non esset? Ex *S. Basilio M.* adducit; Deum ipsum divisisse status hominibus, conjugii, & virginitatis aut cœlibatus; ità ut, nemo cogatur ad aliquem; sed qui propriâ voluntate obstrictus est, custodiendus est Deo, velut donum sibi dicatum, sacrilegus futurus per oppositum. Cum ipso hoc dicemus cuncti Catholici; interrogabimúsque *Confessionistas* (juxta verum Dei Verbum) Religiosi viri: num, malè illatam etsi, consequentiam, dicentium Christo: (y) *non expedit nubere*, negavit aut concessit Christus in totum? aut, num præcepit, vel prohibuit matrimonium? An dicens, (z) *non omnes capiunt, -- sed quibus datum est -- sunt, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum,* (non *carnaliter* ut accusatur *Origenes*, sed *spiritualiter*) damnavit virginum cœlibúmque *impietatem,* ut *mandato Dei contrariam,* sicut Confessionistæ loquuntur? Ibi prædixit Domi-

(y) Math. 19. 10. (z) Ibid. v. 12.

minus *Lutherum*, ipsiúsque luxuriosos discipulos; dicens: *Non omnes capere verbum, sed quibus datum est*: vovens enim, & Dei gratiæ præservanti haud resistens, verè *capiet, sibique dabitur*, quod Deo custodiatur illæsus. Mirandúmque quòd *Lutherani*, ubicumque Christus dixit *sequere me*, *Petro* videlicet, Apostolis, homini etiam, ipsum sciscitanti (a) *ad vitam æternam possidendam quid faceret*; non addant in suis Bibliis: *Sequere me, cum uxore*, nè prætergrediaris *mandatum* Dei, cui, juxta *Confessionistas*, cœlibatus opponitur; quod forsan explicabunt intellexisse *Lutherum* in verbis Christi: *Si vis perfectus esse*, quorum oblitus, castitatem Deo voverat; & quæ, postea à *diabolo*, quem sequeretur, audivit. Et de hoc satis, nam totum caput 7. epist. 2 ad Corinthios cujus v. 2. pro *uxore ducenda*, *Confessionistæ* adducunt, ad vitandam incontinentiam; (b) esse in laudem cœlibatus, præ conjugio quis dubitat? - - Ad 7. & ultimum *de Potestate Ecclesiasticâ*; ubi Confessionistæ, spiritualem cum temporali confundunt, ut utrámque tollant; ubi iterum cunctas Ecclesiasticas leges, & traditiones evacuant; ubi, festa, jejunia, præces Ecclesiasticas, obligantes conscientiam negant: ubi etiam *Sanctificationem Sabbati*, inter antiquas abrogatas legis Judaicæ *ceremonias* locant; cum Ecclesia, *morale præceptum Divinum* supponens, integrum *Decalogum* servet; diem autem determinatam representantem à creationis opere Deum cessantem, (quòd tantum ceremoniale erat) in Dominicam (ab Apostolorum (c) tempore) transtulerit: cunctis his, *Patriarcha* occursurus, omnes *Traditiones Ecclesiæ* tenendas opponit.

12. Posset, ex dictis, homo sani capitis, inferre, Græcos plus

(a) Ib. v. 16. & 21. (b) Videantur. versus. 1. 6. 7. 8. 20. 24. 27. 32. 34. 37. 38. 40. (c) Act. 20. 7. & Cor. 16. 1. vocata Dominica: *una Sabbati*; sicut Math. 28. 1. Mar. 16. 2. 9. & Luc. 24. 1.

plus à *Romanis* quam *Lutheranis* distare? ad hoc persuadendum verò, responsum Patriarchæ Hyeremiæ proferre, in quo ex 28. *Articulis Augustanis*, quatuor ferè confirmat, quos Romana quoque Ecclesia approbat; in cunctis verò aliis, eôdem modò ac Romana Ecclesia contradicit? Putavit *Apologista*; inter *Ruthenos* ignorari Patriarchæ hujus, & Græcam fidem, sicut inter Lutheranos suis à loquacibus Magistris deceptos? Meliorem ictum, *Luthero*, dedit *Javorskius*: ille, *in Romanam Ecclesiam intendens arcum, venenata tela in Græcos & Ruthenos projecit*; iste, *petram fidei* in *Lutherum novum Goliath* jaculatus, capita Lutheranorum consaucians, uno ictu stupida reddidit, quô arma quibus jugulantur, errores defensuri, nobis committunt. Et ut clariùs hoc videant, jam ad depingendam Ecclesiam eorum procedamus, quod *Apologista* omissit.

Suppleturus igitur *Apologistæ* in hac parte defectum, 13.
teneor, ut promiseram, *Lutherani* gregis (non Ecclesiæ) formam exprimere, licet superfluum videatur, quibus sufficit novisse sectarium. Horruit, Apologista, in hanc arenam descendere; indéque concludere statuit, à Luthero restitutam Christo Sponsam; exclusurus, dicteriis, (Latinæ, *erroribus* & *superstitionibus* imputatis) à Christi consortio, etiam Græcam Ecclesiam. Quod, cum pro latinis scripsisse vix credam, sed *Ruthenis* ut fatetur ipse; respondendum sibi judico, non Latinorum (nisi *Lutheranorum* ipsorum) nomine; *Græcorum* & *Ruthenorum* de ipsis prolato testimonio, jam ante *Javorskium*: corpusque noscere incipiamus, detecto capite.

Lutherum, ecce, quem nominâsse tædium ingerit. 14.
Hujus *facta vaferrima*, (ut scripsit *Javorskius*) Apostasia à sacro habitu, à verà fide, Pervasio in Christi thorum libidinis igne, sanctimoniali arreptâ, audacia in Ecclesiæ leges à se traditas materialis flammæ voragini, & alia, sa-

tis comprehendunt; nec mirum, quia: (d) *abiſſus abiſſum invocat* - - (e) *impius*, autem, *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Vitam ipſius, *Lutheranos*, ſi objiciatur, pudet; unde, quidquid *Apologiſta* (pag. 135.) *Lutherum*, in vitâ, à ſe defendendum inſinuet: de ejusdem doctrinâ ſit ſermo, quam venerantur ejúsdem diſcipuli. Hanc audiens primus Lutheri Patronus *Georgius Saxoniæ Dux* Annô 1519. (quo Lutheraníſmi jaciebantur adhuc fundamenta) in arce *Lipſienſi*, tum concionante *Luthero*, tum diſputante cum *Eckio* (de juſtificatione per ſolam fidem, & merito tollendo bonorum operum) hoc protulit de doctrinâ Lutheri judicium: *Hanc doctrinam, non pro viventibus eſſe, ſed pro morientibus.* Quid novi igitur ſcripſiſſe *Javorskium* (in admonit. ad Orthod. Chriſtianos) Apologiſta conqueritur? (pag. 7.) ex illo referens: *Quid enim ex hac impiâ* (Lutheri) *doctrinâ* (de fide) *ſequitur? Hoc ſequitur: trucida, furare, adulterare, falſum dic teſtimonium, fac quæ lubet, ipſi Sathanæ æqualis fias malitiâ; nihilominus omitte metum; tantùm crede. Fides in Chriſtum ſola ſalvat. Ità hi lupi larvati docent.* Primum Ducis judicium, non *Catholicus* Author, non *Jeſuita*, commemorat; conqueratur *Apologiſta*, Lutheranorum Centuriatori (f) *Krommaiero*, expreſſis verbis adductis factum ſcribente. Interímque, dictum alteriùs magni belliducis cujusdam, Rutheni recolant, qui aiebat, ſe *ità exercitum ad pugnam diſponere, ac ſi Deus non eſſet; pugnam autem poſtea, ità Deo comittere, ac ſi nîl humanum diſpoſitum fuiſſet:* non quod neganda ſit fides dum vivimus, imò retinenda, ſicut Dux ille Deum non negabat dum exercitum diſponebat, ſed, (g) *cum metu & tremore, ſalutem noſtram operemur; Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & per-*

(d) Pſal. 41. 8. (e) Prov. 18. 3. (f) Krommaier. Cent. 16. de Stat. Eccl. pag. 574. (g) Philip. 2. 12.

perficere, *PRO BONA VOLUNTATE* ; poſtea verò, ità Deo nos committamus, ac ſi in nobis nîl meriti haberemus, ſolâ miſericordiâ Dei innixi; quia, (h) etſi : *nihil nobis conſcii ſumus, non in hoc juſtificati ſumus : qui autem judicat nos, Dominus eſt.* Solâ fide, non juſtificabimur ; ſolis operibus, non ſalvabimur ; taliter igitur operemur in vitâ, qualiter juſti ſimus ; talitérque Deo fidamus in morte, ut ejus miſericordia, defectuum immemor, nos ſalvans, bona opera noſtra (i) *remuneret*, quibus *inquiſivimus illum.*

Tantam, in doctrinâ, legimus *Lutheri* inconſtantiam, 15.
ut non ſimul Catholicorum dogmata depoſuiſſe, obſervandum advertit *Pfaſius*, (k) nè oppoſitio taxetur in ejúsdem tomis evolvendis. Tanta inde *Confeſſionum fidei Lutheranæ* varietas, ut (eôdem Lutherano (l) teſte, de colloquiorum, & conventuum *immenſa farragine*, quorum ipſe ultra 60. numerat, plura tacere dicat. Ex *Confeſſionibus Lutheri, Auguſtanâ, Tetrapolitanâ, Witembergicâ, Schmalcaldicâ, Saxonicâ, Pomeranicâ, Boruſſicâ, Thuringicâ, Juliâ, Antuerpienſi, Vpſalienſi, Tranſylvanicâ, Marchicâ, Mansfeldenſi, Livonicâ*, --- *Calvini* verò, *Helveticis* pluribus, *Gallicanis*, *Anglicanis*, *Scoticis*, *Bohemiccâ*, *Polonicâ*, quas omnes uno volumine, comprehendit earum *Corpus & Syntagma*, *Genevæ* impreſſum ; liquidô, conſtat, tot fuiſſe fidei corrumpendæ regulas, quot civitates, oppida, homunciones : imò ſola *Wittemberga* Lutherum poſſidens, ità fuit, cum illo, in doctrina fidei, varia, ut idem *Dux Georgius*, dixerit : (m) *Neſcio, quid hoc anno credant, quidve annô proximè futuro credituri ſint vicini mei Witembergentes.* O! uni-pluralis fidei Eccleſia! audiſti Apoſtolos, (n) *variis linguis loquutos*, ſed eadem *magnalia Dei*, quorum ubique, (o) *erat cor unum, & anima una ;* (p) *ſollicitóſ-*

que,

(h) 1. Cor. 4. 4. (i) Hebr. 11.6. (k) Pfaf. ad ſæc. 16. cap. 2. §. 4. pag. 296. (l) Idem ib. c. 3. §. 2. & 3. ad long. (m) apud Petrum Annat. in apparat. lib. 1. Art. 10. pag. 49. (n) Act. 2. 4. (o) Act. 4. 32. (p) Epheſ. 4. 3.

que, nos esse docent, *servare unitatem spiritus*, quorum una doctrina unam facit Ecclesiam, ob *unicam fidem*. Hinc colligemus apud vos *Christi Sponsam?* Absit; montruosa est hæc varietas, quam nutrivit discordiæ Pater; ex hac inferre debuerat Apologista *Sponsam Diaboli*. Sed si parum sileant Lutherani testes.

16. Græcis, Lutheranos invisos, demonstravit, *Nicolaus Comnenus*, (q) asserens, vulgus imperitum, injurias in Latinum aliquem laturum, nominare eum *Lutheranum*, in majoris odii signum; sed hunc etsi doctissimum Græcum, diceret *Apologista* Latinis Romanis addictum. Habere, autem Lutheranos pro heterodoxis, est sole clariùs, tum ex triplici Patriarchæ *Hyeremiæ* ad ipsorum propositam fidem responso; tum ex suprà memoratis Actis contra *Cyrillum Lucarium*, cujus etsi Calvinizans Confessio, in paucis, Lutheranis dissentit. Legant Lutherani opuscuIum Græcè *Amstelodami* excussum Anno 1706. à Theodoro Henrico Bruin, compositum à *Francisco Prossalenti Corcyrensi*, *Gabrieli* Patriarchæ Constant. dicatum: contra *Benjamin Hudrof* Professorem Britanniæ; ubi probat, in dogmatibus, Protestantes esse antecursores, seu *Prodomos Antichristi*, quod in operis Præfatione proposuit. Sícque pro nunc sufficiat de Græcis: quare, nè eadem repetamus, jam indicandum est, quomodo semper inspecti fuerint à *Ruthenis*.

17. Incipiat hic quoque Lutheranus Author fidem facere. *Gudmundus Krook*. (Exercit. Historico-Theol. de statu Eccl. & Relig. Moscoviticæ. impr. primò *Lubecæ*. 1709. cap. 6. §. 2. pag. 65.) Judicium *Magni Czaris Joannis Basilidis. 2. de Luthero*, verbis ipsius expressis, fecit authenticum, scribens: *Basilidis, de Luthero, judicium, qui cap. 1. Responsi ad Confessionem Rohitæ; eum accusat: quod impetu facto in Chri-*

(q) In prænot. Mystag. resp. 1. Sect. 4. n. 8. p. 22. Col. 2.

ſtum, ejus doctrinam everterit; Apoſtolorum Sanctorúmque Patrum doctrinam diſtraxerit, deſtruxerit, in oblivionem adduxerit, & Sacras Scripturas inverterit, ſenſumque illis affinxerit, non quem in ſe habent, ſed quem ipſi depravata mens, atque libido ſuggeſiſſet. In edit. Albin. pag. 14.--& cap.9. *quod nulla legitimâ vocatione gauiſus ſit; SED CUM SUIS, SATANÆ ADJUTOR, IN DECIPIENDIS HOMINIBUS.* Legent nè ergo Rutheni novum aliquid in laudando *Javorskio?* Scandalizabuntur, ſi Latini invertamus *telum*, nobis, ab *Apologiſtâ*, *ob ſacras Orthodoxas traditiones*, inflictum? Si Ruſſiæ Imperantium Maximus, vocavit eos, *SATANÆ ADJUTORES*, liceat nobis appellare Lutheranorum cœtum: *exercitum Draconis; & Sponſam Diaboli*-- *Alium*, citat idem *Krook* (ibid) *Ruſſicum Authorem*, tract. de *Luthero*, *eum filium Diaboli nominantem.* Supponatur tamen, *Joannem Baſilidis* convixiſſe *Luthero*; (r) regnavit enim, ab An. 1534. ad 1583. unde Lutheraniſmi definivit initia. Progreſſum dicent alii.

Succedet *Petrus Mogilas* ex *Moldaviæ* Ducibus or- 18.
tus, Metropolita *Kioviæ*, throníque Cplitani Exarchus, qui celebrem illam *Confeſſionem* Eccleſiæ Orientalis, occaſione vicinorum *Lutheranorum* compoſuit, quàm à Græcis generaliter receptam, è Græco in Latinum, *Laurentius Normannus* (Lutheranus) transtulit. Hic initio ſæculi 17. opus componens, oves Ruthenas ab hæreticâ contagione præſervaturus; cum ſcripſiſſet (part. 1. qu. 91. pag. 146.) *nè legantur hæreticorum libri, neque fando blasphema illorum audiatur doctrina, ab iis, qui in Divinis ac humanis litteris, atque diſciplinis inexercitati ſunt. Nè ſermones cum ejusmodi hominibus conferant; nè ad familiaritatem eorum ſeſe adplicent*, juxta ſcripturæ monita. Pſal.1.1. & ad Tit. 3. 10. (Quæ verba eadem, repetita à *Javorskio*, *Apologiſtam* ſum-

(r) Vid. Stepenna Kniga. à Stepen. 15. 16. & 17.

ſumme cruciarunt, pag 8. & 136. (ut intelligamus de quibus timeret, ſuo tempore, hæreticis; ſubjunxit (qu. 98. pag. 153.) *quâ de re* (ſcilicet de ſeptenario Sacramentorum numero) *pluribus egit Patriarcha Hyeremias, in libro, quem, convertendis Lutheranis, ſcripſit.* His conſtat, ut hæreticos habitos eſſe à Græcis, & à Ruthenis. - - Quæ (ſicut totam *Conſeſſionem*) contra *Lutheranos* & *Calviniſtas*, ſcripta eſſe à *Mogilâ*, clarius monſtrat approbatio & magni commendatio *Nectarii* Patriarchæ Hyeroſol. *ad univerſos Orthodoxos* directa, Annô 1662. quam in initio ante Confeſſionem, vertit ex Græco ipſe citatus *Normannus.* Ubi, nè totam repetere dicatur moleſtum, lego: *Petrus Mogilas: commiſſa ſibi Metropolitanæ Kiovienſis Eccleſiæ gubernacula, quum primùm capeſſeret, gregem ſuum NOVIS, quibúsdam SECTARIORUM OPINIONIBUS, à genuinâ & antiquâ majorum ſuorum doctrinâ longiſſimè abhorrentibus, confuſum infectúmqe offendit. Quocirca - - piiſſimum, Deóque gratiſſimum, ſibi ſcopum, mox propoſuit, dirigendi, reſtituendique Eccleſiam Ruſſicam, in eam, quâ, ab ultimis initiis floluerat, ſacrorum dogmatum integritatem, rurſúmque, RADICITUS EXTIRPANDI, QUÆ TUM IN ILLIS LOCIS CAPUT ATTOLLERE COEPERANT, NOVITIAS OPINIONES* - - & poſt pauca; *Hi igitur*, (Porphyrius ſcilicet, & Meletius Syrigus, Græci, Legati Patriarchæ Conſtant. ejúsque Synodi; & Ruſſi plures, ſecum in Moldaviâ Synodicê congregati) *perpurgatum ab OMNI ALIENA DOCTRINA, ILLAQUE NOVITATUM concretione, librum, ad optimum hunc finem perduxere. - - Quem - - non Ruſſorum duntaxat, verum univerſaliore nomine, Græcorum omnium Orthodoxam fidem appellarunt.* - - Approbatam jam Confeſſionem iſtam *Mogilæ*, cunctísque Græcis tanquam Orthodoxam propoſitam, antea, Annô 1643. *à Parthenio*, & Conſpl. Synodo, advertit, idem *Normannus*: his autem

ver-

bis ab eodem ſumptis, breviùs Decretum Græcorum adducam. *Parthenius, Dei miſericordiâ Archiepiſc. Conſtplis, &c. Mediocritas noſtra, una cum præſente ſacrâ ſummorum Pontificum, Clerique Congregatione, libellum, à GERMANA SORORE NOSTRA RUSSIÆ MINORIS ECCLESIA, nobis transmiſſum -- veſtigiis doctrinæ Eccleſiæ Chriſti fideliter inſiſtere, ſacriſque conſentire canonibus; nullâ verò ex parte illis adverſari, comperimus -- atque de communi Synodycâ ſententiâ, decernimus, mandamúsque, pio cuivis, & Orthodoxo Chriſtiano, Orientalis & Apoſtolicæ Eccleſiæ civi, librum iſtum ſedulô lectitandum, &c.* ſubſcriptis decreto; *Patriarchis* Orientis quatuor; *Parthenio* Conſtantinopol. *Joannicio*, Alexandriæ; *Macario*, Antiochiæ; *Paiſio*, Hyeroſolimæ; novem Epiſcopis; & tredecim Conſtplanæ Eccleſiæ officialibus & Theologis. -- Quem librum, item, Synodus Hyeroſolimitana, Annô 1672. ſub Patriarchâ *Doſitheo, approbat, & pro universâ EccleſiâOrientali*, de novo *recipit;* eum referens (pag. 26.) ſcriptum, & *in lucem prodeuntem, à ſanctiſſimo Metropolitâ Kievienſi Petro Mogilâ, ante ſex ſeptem ad Synodum annos;* unde Annô 1630. Hæc, ex Præfat. *Normanni* ad Confeſſionem legere poſſunt *Lutherani;* inde, ſuorum teſtium fide, collecturi, Græcos & Ruthenos ſemper ſocios, in dignoſcendâ, fugandâ, cavendáque à ſuis Eccleſiis, Lutheranorum & *Novatorum* hæreſi.

Nec minùs, decurſu temporis, Lutheranis ſeductio- 19.
ni Ruthenorum inſiſtentibus, caventes Prælati, eorum calliditatem populo detexêre. *Adrianus*, Patriarcha Moſkuæ ultimus, Annô 1696., de noviter edendâ *Petri Mogilæ*, ſeu Orientalis Eccleſiæ Confeſſione curavit, additis duabus *S. Joannis Damaſceni* homiliis *de cultu ſanctarum imaginum.* In præfatione libri, populum cautum ſimul ac inſtruendum deſiderans (verbis è Ruſſico in Latinum verſis, apud Lutheranum adductum *Krook*, Sect. 1. cap. 2.

§. 17. pag. 32.) sic scribit : *Martini Lutheri discipuli, postquam invenissent litteras Slaveno-Russicas pulchras & puras, & in linguam puram Slavicam transtulissent causas ; & EXPLICATIONES FALLACIUM ILLORUM DOGMATUM, typis ediderunt in lucem VENENO PLENOS LIBELLOS, unum in quarto, in urbe Nesvizinâ Annô 1562. alterum breviorem & minorem, Holmiæ An. 1628., vocantes hosce libros, Catechesis, vel doctrina, quid homini, ante omnia sciendum & discendum : QUI LIBER, QUALIBUS, & QUOT SORDIBUS REPLETUS sit, nunc facilè dici non potest.* Quid mirum igitur, sic, succedentem loqui quoque *Javorskium?* maximè cum plures intra Russiam, vocatos ad humanas artes edocendas, noverit, & forsan audierit, extra Philosophiæ metas egressos, circa Ecclesiæ dogmata, incautæ plebi *Lutheranismum* suadere ; *superstitionésque, errores, idololatriam* vocare (etiam me teste) non veritos, avitam pietatem Ruthenorum in jejuniis, cultu, cæterísque piis operibus ? Ex istorum consortio, timuit Prælatus ille, quorumdam charitatem frigesiendam, cui fovendæ, Prælatis cæteris exemplum dedit, *venenum, Sordes, heterodoxiam, & fallacias, Lutheri ; discipulorumque* ejus detegere ; quo, & Lutheri cœtus patefieret, & Ruthena Ecclesia illi resisteret ; utinam, simul ac omnes doctrinis instruxit, zelo eruditos Ruthenos edoceat.

20. Quid jam sibi *Lutherani* ab istis desiderent, nescirem, nisi *Calvinistæ* illorum Socii, erga Græcos eandem importunitatem monstrassent. *Miror*, (scribebat eruditus *Panajotta* Græcus, Turcarum Domini ad *Portam Othomanam* Interpres) : (s) Miror, *cur non pudeat Calvinianæ hæreseos sectatores ; post tot Ecclesiæ Orientalis contra eos factas demonstrationes, post tot actus Synodales typis vulgatos, post*

(s) Epistola Panagiottæ ad March. de Nointel Legat Galliæ ad Port. 20. 10.br. 1671. integrè relata à citato Normanno. in Præfat. ad Confes. Orient. Eccl.

post Cyrillianæ Confessionis damnationem - - post denique sepe memoratæ Ecclesiæ fidei suæ Confessionem, omnium ferè Antistitum suorum unanimi consensu, & confirmatione nuperrimè publicatam; TAM IMPUDENTER, & PERTINACITER, hanc Ecclesiam in consortium PERNITIOSARUM HÆRESEUM SUARUM advocare. - - Si quærunt, quid de verâ & substantiali Jesu Christi servatoris in Divino Eucharistiæ mysterio præsentiâ, Græci credant; inspiciant paulisper (homologia) & perlegant orationes, quas quilibet sacerdos, ante & post Sacramentorum assumptionem tenetur absolvere. Si de intercessione Sanctorum, quid sentiant instrubi cupiunt, lectitent 12. libros (Ton Minologicon ke Tin Paraclitikin) ex quibus clare patet, eos, nîl magis, quam sanctorum intercessionem efflagitare: Sique de Sacramentorum numero hæsitant, contemplentur libros Rituales, (Euchologia) intitulatos. Intelligent enim, Græcos, cum sancto Areopagitâ Doctore suo, septem numero Sacramenta profiteri. Si denique de Imaginibus & jejuniis saniùs sapere student (To Triadion) perlegant. - - Hæc scrutentur Calvinistæ, & invenient veram Orientalis Ecclesiæ Confessionem; & non à Cyrillo, ob perversa sua dogmata, sede expulso, occiso, & damnato. - - Credo, domi meæ, Constantinopoli; Gennadii Patriarchæ Const. DE TRANSUBSTANTIATIONE panis & vini, in Eucharistiâ, orationem elegantissimam, ac doctissimam me habere; hæc omnia, curabo, quamprimùm, submitti, ut omni diligentiâ, pio & sancto zelo inserviam, & permaneam. Excellentiæ V. &c. - - Adrianopoli, &c.

Hunc *Panajottam* sic scribentem, non ex Romanis, sed ex Protestantibus, *Normannus* commemorat; *ipsum*, (t) Legatus Galliæ de *Nointel*, Regi *Ludovico XIV.* Epistolam transmittens, testatur; *gnarum & peritissimum doctrinæ Ecclesiæ Orientalis, illius etiam se PATRONUM gerentem, in propugnandis articulis, qui illam ab occidentali disjungunt;*

 nè

(t) Apud eundem Normannum. in ead. Præfat.

nè Romanenſes Authores, ſibi nos opponere, *Lutherani* dicant. Relinquant iſti Ruthenam Eccleſiam; nè tot iſtius teſtimoniis non contenti, audiant ab iſtis, quod Calviniſtæ à Græcis: *mirum*, ſcilicet, *eſſe*, *TAM IMPUDENTER & PERTINACITER*, (*Ruthenam*) *Eccleſiam*, *in Conſortium PERNICIOSARUM SUARUM HÆRESUM*, *ADVOCARE.* Nec ex *Javorskio* repetiiſſe ſentiant, quod de ipſis, ſemper, & cuncti, Græci ac Rutheni, judicium tulerint; dum ſibi, nunc, *Panajottæ*, verba retorquent.

21. Initia Lutheraniſmi, ipſius aſſeclæ explicarunt; agmen compleat *Lutheranus* pariter, qui ſemel non maledicus, nec audens de præſenti proferre, judicium tulit, quaſi Vates, *Lutheranæ Eccleſiæ* de futuro. Hoc non omittamus, quia meretur, etiam ex etheredoxo, verum audiri. Scribens *Chriſtophorus Mattheus Pfaſius* Tubingenſis ſcholæ Cancellarius, nulli Lutherano non celebris, in omni ferè, tum hyſtoriæ, tum juris, tum Theologiæ materiâ ſcriptor audaciſſimus, qui nuper decedens, mordacitatis, plusquam eruditionis monumenta reliquit. Scribens inquam de Diſciplinâ Eccleſiaſticâ primitivæ Eccleſiæ, circa adminiſtrandam pœnitentiam; ex adminiſtratâ nunc inter Lutheranos, præſagire dixit quod actu videbat. Verba refero: (u) *Utinam hæc* (Primitivæ Eccl. praxis) *iterum reduceretur, quam longe ſanctius exerceri poſſet CLAVIS SOLVENS, quam pro præſenti: UBI BLASPHEMI, PERJURI, ADULTERI, SCORTATORES, FURES, AVARI, modo adeant Paſtorem, & EX FORMULA RECITENT CONFESSIONEM PECCATORUM, etiamſi ne minimam compunctionem in corde ſentiant, multo minus quod lachrimæ excidant ex oculis, ſtatim abſolvuntur à peccatis. Quis hic non lugeat ingentem abuſum clavis ſolventis? Talis abſolutio, nec in Cœlo rata eſt, nec peccatorem juvat, ſed poti-*

(u) Pfaſius. inſtitut. jur. Eccl. part. 2. de jure circa Sacra. cap. 20. pag. 228. 229.

potius gravat: nec Ministro Ecclesiæ commissa, sed prohibita est: ut ita totus actus talis absolutionis sit LUDRICUS, ABUSIVUS, IMPIUS, non in ædificationem, sed in destructionem animarum tendens: nam ex tam facili & promptâ absolutione, peccata pro re levi erunt: de his nunquam seriô contristabuntur, sed ad quamcunque ocasionem, ad vomitum, & pristina peccata redibunt, dum putant, intra triüm mensium spatium, si iterum ad Confessionarium accedant, cum priore FORMULA, eàdem iterum facilitate peccata commissa remitti. En *Lutheranam praxim* cœterorúmque *Protestantium*, individuâ peccatornm explicatione sublatà, *formulà communi* utentium, qua *Minister clavium*, dignos, ut *solvat*; indignos, ut *retineat*, cognoscere nequit. Sequitur immediate authoris judicium. *QUARE, NOBIS EA SEDET SENTENTIA, ECCLESIAM NOSTRAM* (Lutheranam intellige) *NON POSSE, NON IN PEJUS ABIRE, & TANDEM, IN COETUM MALIGNANTIUM DEGENERARE, NISI DISCIPLINA ECCLESIASTICA SERIO REVOCETUR.* Nescio quid virum istum detinuerit, nè de præsenti assereret quod per infallibilem consequentiam inferebat. Fallitur, asserens, *disciplinam Ecclesiasticam* esse, peccata numeraliter exponere, est enim expressè à Christo jussum, instituente tribunal sacrum, in quo clavigeri, *ligandi, & solvendi*, non ad libitum, sed juxta pœnitentis dispositionem, acciperent potestatem. Antiquos *canones* publicè pœnitentium revocasse Ecclesiam, infas fuit; quæ juris Divini non erant, & ex quibus inconvenientia sequuta ad præsens non attinent: confessionem privatam auferentes Ecclesiæ Protestantium, ordinariâ utentes *FORMULA*, audiunt à Lutherano necessarium exitium; à *RUTHENIS* igitur tolerent sibi dici: (x) *odivi Ecclesiam MALIGNANTIUM*, quorum *cœtum dicit*

(x) Psal. 25. 5.

Lutheranus ipſe, *futurum*, & Eccleſia proſcripſit jam factum. Hanc, quam *Apologiſta* vocat *Eccleſiam*, pro quâ defendendâ, calamum, in *Javorskium*, plusque in Latinos, ſtrinxit, *Sponſam Chriſti* adhuc ſi Lutherani recanant; metricè *Rutheni* reponent:

Quisquis amat ranam;
Ranam putat eſſe Dianam.

SECTIO III.

1. JAm *Apologiſta*, húcusque extra chorum canens, ad *Javorskii* tractatum oppugnandum ſe cingit; diminutè licet & inordinatè, acuens tria tantùm *venenata tela*, ex undecim illis *Lutheri*, quæ *Javorskius*, *Fidei petrà* retrudens, fecit inepta. Contra *jejunia Eccleſiaſtica*, contra *Imagines*, *ſacrasque Traditiones* inſurrecturus; infrænabili crapulà bellum incipit, quam Javorskius *decimo* tractatus ſui *Dogmate*, jejunio præcepto, impugnaverat: ſed neque hoc mirum, quod ventri tribuant, pugnaturi, præcedentiam, illi, quos (y) vocavit *flens* Apoſtolus, *inimicos crucis Chriſti; quorum finis interitus; quorum Deus venter eſt*: illud mirandum, quod in cœlibatus votum Monaſticum, crapulæ ſociam non produxerint quoque libidinem, talis eſt enim modus pugnæ ſolitus in *Lutherano* cœtu, quem *Apologiſta* tuetur, ut duplicem cauſam habeant quam *Ariſtoteles* limitavit pecubus: *pro duobus* ſcilicet *pugnare; pro cibo, & coitu.*

2. A pagina 35. ad 48. non jejunia, (ut ficte Apologiſta prævenit) ſed præceptivam ad illud Eccleſiæ authoritatem, rejecturus, antiquiorem *Luthero* ipſo hæreſim refricat; ſed Orthodoxis cunctis, ſcripſerat Paulus: (z) *rogo autem vos Fratres, ut obſervetis eos, qui DISSENSIONES,*

(y) Philip. 3. 18. (z) Rom. 16. à v. 17.

NES, ET OFFENDICULA, PRÆTER DOCTRINAM, QUAM VOS DIDICISTIS, FACIUNT; & declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed SUO VENTRI, & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium. VESTRA enim OBEDIENTIA, in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Obedientiam siquidem fidelium, ab initio Ecclesiæ, in jejuniis, eorumque modo, jam præstitam, præter ea quæ in *Javorskio Apologista* non legisse simulat, ostendam pluribus.

Quadridens ergo *venenatum telum*, contra, & Græcorũ, & plus Latinorum, jejunia, jaculatur his verbis (pag. 35.) *jejunia, si rectè instituantur, ceu ad vitæ sanctitatem custodiendam admodum utilia & salutaria, vehementer commendamus: ità SUPERSTITIOSA, contra, HYPOCRITICA, HISTRIONICA, COACTA, jure meritóque reijcimus, ac detestamur.* Si ampliùs blasphemasset, nil *Lutheranis* plaudendum attulisset, quorum cathechesi solà, ad impudentiora instruuntur, (a) additis vocibus, *Pharisaica, verbo Dei contraria*, aliísque vilipendendis calumniis. Quæ priusquam repellantur, scire optarem, *jejunia* ab ipsis *Commendata*, an apud ipsos servata credant, qui in eorum cœtibus, unum vix, servandum audiant, servatumve (merito temperantiæ rejecto) prædicent? *Vix unum* dixi; itaut jejunium generalitêr indictum inter Protestantes *Batavos*, semel in novitatum publicarum relatione nuper audivimus, tanquam singularissimum factum: nec in illo vim placandi Deum, aut satisfaciendi pro pœnâ peccatis debitâ, vel meriti cujusdam, aut obligationem jejunandi sub culpâ (ex arriculo 15. Augustanæ confessionis) hi novi inter Latinos hæretici fatebuntur; unde nesciet quisquam, quo fine ab Ecclesiâ indicuntur, aut quare, calamitatis publicæ tempore, persuadenda 3.

(a) Ap. Cunradũ Dietericum. institut. ad Cathechism. Lutheri. Instit. 134. pag. 478.

denda sint, si Deum placari sperare non possimus in illis. Cautiûs, etsi inconsequenter, eadem jejunia (in Tabulis Kalendarii) servavit *Anglicana* Ecclesia, ac habuerat sub *Romanâ*, asserens (art. 34. confess. fidei) publicè corrigendum eum, qui ceremonias & traditiones Ecclesiæ receptas violaverit; non levem esse quoque Dei offensam, (b) voluntariam diciplinæ Ecclesiasticæ publicæ transgressionem: cum tamen (art. 20.) addat, nil ab Ecclesiâ præcipi posse tanquam necessarium ad salutem. Liberrimè ergô *Apologista* (praxi Lutheranorum forsân inassuetus) scribit pag. 38., de solemnibus apud eosdem indictis jejuniis: *atque ita ad exemplum primitivæ, cumprimis Apostolicæ, nos componimus Ecclesiæ. Jejunia enim in eâ non erant infrequentia:* Quomodo enim, rarissima, si quæ nam sunt inter Lutheranos, jejunia, componentur in exemplum *Apostolicorum*, ut fatetur, *non infrequentium*, dicente Apostolo: (c) *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis - - sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros,* (inter plura alia) *IN JEJUNIIS* &c. Hæc in magno numero à se servata repetit idem: (d) *in vigiliis multis in fame, & siti, in jejuniis multis*, quæ, nedum à se, sed à totâ Ecclesiâ custodita, leguntur in (e) Apostolorum Actis non semel. Credemus, indê, *Apologistæ*, Lutheranos dicenti jejunare secundum Apostolorum exemplum? Absit ut vel talem præsumant Lutherani laudem, vel tantam Apostolis irrogemus injuriam.

4\. Nostraque in præcepta jejunia, allatas ab *Apologista* contumelias repellamus. *Superstitiosa* dixit ea, primô, quia homines *gravibus peccatis immersi, nîlque de emmendatione solliciti, jejuniis Deum placare, omnémque in jejuniis Dei cultum constituunt.* Quis non rideat ad ineptias tales? quis

(b) Vide Præfat. ad Liturg. Eccl. Anglic. §. de cerem. n. 1. in fine. (c) 2. Cor. 6. à v. 1. (d) 2. Cor. 11. 27. (e) Act. 13. 2. 14. 22. & alibi.

quis credet *Lutheranos* omnes ſine peccato aliquo, ſi aliquando jejunent? an non potiùs, contra, cum ſemper in peccato ſint, quod ideò non jejunent? Legere num *Apologiſta* potuit talem errorem in doctiſſimo, quem impugnat, *Javorskio?* Somniavit nè unquam Græcus aut Latinus aliquis, Deum placari ab homine malo, qui de vitæ emmendatione non curat? Scimus cuncti (f) *eligi* (à Deo) *magis*, jejunium, quo, *diſſolvat* homo *colligationes impietatis*, operaque perfectæ charitatis exerceat; docemus omnes, in peccatore, ſine Divinâ gratiâ, omnis meriti principium erga Deum deficere; cunctos inſtruxit *Chriſoſtomus* (hom. 4. in Gen.) *nè exiſtimemus, inediam uſque ad veſperas*, (quomodo abſtinebatur ejus tempore) *ad ſalutem nobis ſufficere*, quia ſola abſtinentia corporis quantalibet ſit, non facit perfectos. Sed, *ſuperſtitioſum* eſſe opus ab intrinſeco bonum, etiamſi ab homine peccatore elicitum; *peccaminoſúmve* exteriorem Dei cultum, etſi internâ charitate non habitâ imperfectum; incepit delirare quidam *Bugaurius* nomine; proſſequutus eſt *Lutherus* vitians omne opus bonum *in reprobis & gentilibus*; roboravit *Calvinus*; recoxit *Michael Baius*; ſuſtinent *Janſeniſtæ*; quorum nec minimum errorem admittunt Græci: ſi enim peccator eleemoſynarius peccaret ſubveniens pauperi, melius ageret hoc omittens, quod nemo dicet; imò malè conſuluiſſet Nabuchodonoſori, Daniel: (g) *peccata tua eleemoſynis redime & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet* (Deus) *delictis tuis*: ſimiliter etiam, qui proximum, adhucque Parentem, poſſet à morte caſuali, vel injuſte illatâ liberare, ſi in peccato eſſet, vel ad id non obligaretur, vel teneretur peccare; quæ, niſi Lutheranus, aut hæreticus alius, nemo ſuſtinere poterit nefanda deliria. Sic (Exod. 1.) laudantur, etſi infideles

(f) Jſa. 58. 6. (g) Dan. 4 24.

deles, mulieres *obstetrices Hebræorum*, Ægyptiæ, quod *timuerint Deum, & non fecerint juxta præceptum Regis, sed conservaverint mares - - &, quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos.* Ideò Christus Pharisеos alloquens, & de peccatis redarguens, (Luc. 11. à v. 39.) subjunxit: *verùmtamen, quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et quis non legit, (Act. 10.) *Cornelio, Centurioni cohortis Italicæ*, gentili, convertendo per *Petrum*, dixisse Angelum: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei?* Ex quibus, sine gratiâ, & sine adhuc fide, posse opera quædam bona moralia ab hominibus exequi, demonstravit S. Thomas 2. 2æ. qu. 10. art. 4.: atque, nedum ex objecto, sed ex fine bonum agendi, laudat *Hieronymus*, (in cap. 1. Gal.) multorum, sine fide & Evangelio, opera salubriter & sanctæ perfecta: *S. Augustinus* quoque (lib. 5. de civ. Dei cap. 15.) latum Imperium Romanorum, suadet à Deo datum, in remunerationem eorundem bonarum virtutum; & (Epist. 163.) supponens, quod ope *Xenocratis*, factus erat *Polemon* ex libidinoso continens, ait: *quanquam ergo non fuerit Deo acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus, tamen nè idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed Divino:* Tandem (lib. de Spir. & lit. c. 26.) ait: *impiorum, verum Deum, nec veraciter, nec justè colentium, quædam facta legimus, quæ, secundùm justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, sed meritò rectéque laudamus.* Putant igitur Rutheni, & omnes juxta præceptum jejunantes Catholici, hominem in peccato existentem, posse (sine merito quidem) plura præcepta Divina, & humana adimplere, per actus bonos moraliter, etsi non perfectos, quia sine imperante charitate informes. Nec solis *Lutheranis* loquor, qui rejectâ fide, veræ valedixerunt Theologiæ; scientificè igitur distinguam inter actus

præ-

præceptos, alios, de quorum ſubſtantia eſt charitas ; & alios, quorum, charitas eſt ſolùm modus; ſeu (ut loquitur (h) Apoſtolus) finis præcepti, quia finis omnis legis eſt homines facere virtuoſos: Primi generis eſt Dei dilectio ſuper omnia, & proximi, quæ ab homine peccatore adimpleri non poteſt; ſecundi generis ſunt cætera, quæ à charitate imperantur & ad ipſius incrementum tendunt, ut honorare Parentes, quod eſt exequibile ab eo, qui nec charitatem, nec pietatem habeat; qui, peccare poterit contra charitatem, & pietatem, ſatisfaciens præcepto de honorandis Parentibus, ut, Duce *S. Thoma Aquinate*, (i) docent Orthodoxi Theologi. Hinc leges, etiam Eccleſiaſticæ, circa actus humanos, quoad ſubſtantiam, ſeu bonitatem eorum materialem, ut, audire ſacrum, ſuccurrere indigenti, jejunium, & ſimilia, adimplebiles ſunt ſine charitate & gratiâ ſanctificante; imò, peccans, ob vanam gloriam, poteſt præceptis hujusmodi ſatisfacere: leges verò illæ, quæ hominem ad interiorem cordis rectitudinem directè dirigunt, ut dilectionis Dei & proximi, pœnitentiæ, contritionis, & ſimilium, ſine interiori cordis munditie impleri non poſſunt. Jejunans igitur poteſt peccare ob vanam gloriam; ſuperſtitioſus eſſe, ſi putaret absque gratiâ & charitate juſtificari per jejunium; ſine peccato verò, valet ſervari iſtud, intendendo adimpletionẽ præcepti Eccleſiæ, itaut perfectum & meritoriũ non erit, ex non imperante charitate, ſine quâ deſtruheretur (k) *modicum* illud *fermentum, quod totam maſſam corrumpit;* ſi tamen, ex verò corde jejunium offeratur à peccatore, ad hunc finem ut convertatur, absque dubio Deum movebit ad ſibi conferendam gratiam, quâ à peccato reſurgat.

 Hy-

(h) 1. Tim. 1. 5. (i) S. Thom. Aqu. 1. 2æ. qu. 100. art. 10. ad longum. (k) 1. Cor. 5. 6. Gal. 5. 9.

14. *Hypochritica*, proſſequitur probare *Apologiſta* (pag. 36.) noſtra jejunia; *ob ſingularem ſanctitatis conciliandam opinionem, & oſtentationis causâ*, inſtituta, & ſervata, qualia reprehendit *Chriſtus* (Math. 6.). Auditus nè eſt unquam talis ſcrutator cordium, qui imperantium & obſequentium vanum hunc penetret finem? Hypochrita, quod jejunare fingat non abſtinens, quodvè *vultum ſuum deformet, ut appareat hominibus jejunans*, quis negat? ſed quod omnes in Eccleſiâ ſint tales, quis niſi audaciſſimus dicet? Si igitur, (ut *Apologiſtæ* delirium appareat) omnibus generaliter eſt indictum jejunium, quam ſingularem manifeſtabit in eo quislibet ſanctitatem? In jejuniis voluntariis, non in preceptis, oſtentatio locum habet, aut Hypochriſis, niſi modus addatur *exterminandi faciem*, ut ſtrictiûs jejunaſſe manifeſtetur hominibus; neque talem dixit Chriſtus generalem omnibus ex lege jejunantibus, ſed limitavit quibusdam hypochritis, ſicut ibidem, modum publicê faciendi eleemoſynam non correxit in cunctis. Si ergo hæc, Chriſti, contra hypochritas jejunantes correctio, exiliandum probaret præceptum jejunandi, ùt *Apologiſta* contendit; reprehenſio ejusdem antecedens in facientes jactatam eleemoſynam, auferendum probaret hujus fiendæ præceptum, quod nemo dixit. Hypochriſis ubique vitanda, ſed utrobique, (l) *ſic luceat lux noſtra coram hominibus, ùt videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt*: nam non debet omitti opus bonum, ùt vitetur hypochriſis, ſed ut notavit *Gregorius*: curare, (m) *ut ſic ſit opus in publico, quatenùs intentio maneat in occulto.* - - (n) *Lucernas quippe ardentes* (quales (o) docuit Chriſtus) *in manibus tenemus; cum per bona opera, proximis noſtris, lucis exempla monſtramus.* Væ

(l) Math. 5. 16. (m) S. Gregor. hom. 11. in Evang. (n) Idem homil. 13. (o) Luc. 12. 35.

Væ autem illis, qui jejunia, cæteráque bona opera rejicientes, maluerunt, Duce *Luthero*, pessimi omnes ostendi, nè contingeret quorundam hypochrisis.

Histrionica, addit *Apologista* ridiculus, jejunia, in 6.
quibus, prohibitis cibis nonnullis, succedunt alii non minus pravas cupitates irritare apti, quibus jejunantes ventrem replent. Si iste homo, eique similes, scirent distinguere jejunii differentias, non ita ineptirent in ejus diversas secundum tempora observantias. Aliud est jejunium *Naturæ*, quod est, negatio omnis cibi & potus, ad nullam virtutem pertinens, cum temperantia mediocritatem in cibis intendat. Aliud jejunium *spiritus* idest abstinentia à peccatis, & hoc perfectissimum dicitur, methaphoricè, jejunium (Jsa. 58.), per exemplum jejunii corporalis. Aliud est *virtutis*, & istud consistit in mediocritate exercità à virtute temperantiæ, quæ, una non potest præfigi pro cunctis. Aliud est *Ecclesiæ*, quod est abstinentia à cibo, juxta regulam ab Ecclesiâ præscriptam, pertinens ad virtutem abstinentiæ, ordinata ad finem honestum, tum reprimendi concupiscentias carnis; tum elevandi mentem ad contemplationem cœlestium, exemplo *Danielis* (Cap. 10.); tum satisfaciendi Deo pro peccatis, (Joel. 2. v. 12. & 15.) ut explicatur diffusè à Theologis cum S. Thomâ 2. 2æ. Q. 147. art. 1. & 2. Ad jejunium virtutis, tenentur omnes, juxta unicuique necessariam temperantiam, tum in cibo tum in potu, cujus regulæ sequendæ sunt, juxta diversas hominum conditiones. Ecclesia ergo (supposità authoritate ferendi leges, de quà postea) nec strictissimum vivendi genus præscripsit, nec electioni particulari cujusdam cibos reliquit, sed cunctis in unitate viventibus unā regulam jejunandi designavit, quam, sicut introduxerat, mutare, limitare, restituere, tollere, secundum tempora & personas tacito vel expresso consensu, mitigare potuit.

 Atten-

Attendit Ecclesia (ut advertit cit. S. Th. ib. art. 8. ad 2.) ad id quod communiûs accidit, quale est, esum carnium esse delectabiliorem, vim nutriendi majorem habere, magis ad venerea provocare, plus humano corpori conformari, ab ipsoque appeti, & alias rationes, ob quas *Lutherani* respuunt non esse carnivori: Legem ergo statuit communem abstinendi à carnibus, ab eisque procedentibus rebus, ut, ovis, lacticiniis: strictiorque alicubi mos invaluit, ut piscibus quos sanguis animat abstinentes, adhúcque aridorum usu, aut *Xerophagiis*, compleant jejunia plures Greci. Ubicunque igitur approbavit Ecclesia, imò & jussit ciborum delectum, (ut dicemus) inter Latinos nunquam ita rigidê ac inter Græcos, ut videbimus postea. Sciant ergo fideles, in modo jejunandi quemlibet satisfacturum, si morem communem servet suæ Ecclesiæ; ad hunc autem adstringi: inter Lutheranos enim, si semel jejunio indicto, unicuíque maneat designanda regula; quislibet quem velit imitabitur, alius jejunare finget, alius jejunabit ut *Grecus*, alius ut *Romanus*, alius ut *Ethnicus*; unde eorum jejuniũ, non *Histrionicum* dicã, sed *MIMICUM*. Stupiditatem aliam, quà, *pisces, carnes esse*, in eorum Catechismo majori (p) alius probare voluit, ex Levit. 11. 11. *carnes eorum*, (scilicet piscium) *non comedetis*; & 1. cor. 15. 39. *alia caro pecorum, alia volucrum, alia autem piscium;* inter quamplurimas, alibi, agens de Ruthenorum jejuniis, latiûs detego; qui enim ita arguunt ex codice sacro, nil mirum si dixerint in *arcâ Noè* inveniendos binos ex omni specie piscium delendorum, quia coram Deo (q) *venerat finis universæ carnis - universa quippe caro corruperat viam suam*, indeque diluvium, non aquâ solum, sed alio piscibus mortifero completum; & similia: Nec capiam, quare alimenta piscium car-

(p) Cunrad. Dietericus. institut. Cathech. Lutheri. inst. 134. pag. 478. (q) Gen. 6.

carneis coæquantes, aut (ut *Apologiſta* loquitur) æquam vim ac carnea, ad libidinem & pravas cupiditates excitandas, habentes cibos in Catholicorum jejuniis, ità respuerint, ut ob ea ab Eccleſiâ Romanâ Apoſtataverint: nec ipſi dicent, quare crapulaturi, toties, ab Eccleſiâ Romanâ transfugæ, apud Græcos, jejuniis rigidiores, recurſum quæſierint. Si ergo contra nos inſultaturi, eandem dicant *carnem piſcium*, ac *pecorum*, quia Paulus carnem vocavit, etſi dicens *aliam* (partem intelligens, præ oſſibus ſpineis comeſtibilem;) aliud adhuc obtineant Lutherani ſibi paratum obſonion, in *Iſaia* dicente: (r) *omnis caro FOENUM.*

Coacta, concludit effrenatus *Apologiſta*, *præcepta* 7.
per Eccleſiaſticas leges jejunia; non diſtinguens inter *præcipi*, & *Cogi;* improbans, ut ait (pag. 37.) coactionem præcepti, *cum enim cultu ſpontaneo & libero Deus delectetur, quidquid coacti, ac inviti, homines faciunt, illi non diſplicere nequit.* Plus mente captus oſtenditur hic, quam calamo capiendus. Si enim coactio per præceptum, quam 8.
ſupponit, nedum meritum tollat, ſed *diſplicens Deo opus* conſtituat, ut imprudenter Lutherani Theologizant, omne præceptum Divinum, antiquum & novum, morale, ceremonialia, Evangelica, adhucque civilia, pariter in conſcientiâ obligantia, *cogerent homines*, operaque Deo diſplicentia faceret, quicunque præcepta adimpleret. Præcepta obligare verum eſt; cogere, falſiſſimum: *obligatio* provenit ex ſubjectione, quà legibus parere tenemur: *coactio* & violentia eſt ab extrinſeco agente, cui etiam volentes non poſſumus reſiſtere, ut explicatur à Theologis, cum *S. Thoma* (1. 2æ. qu. 6. art. 5.) tollítque voluntarium, ſícque non infert meritum, aut demeritum. Clariſſimum exemplum eſt in Virgine, obligatâ, non coactâ, ut liberè omninô pudorem conſervet; hæc ſi cogatur ad ſtuprum, modo

(r) Iſa. 40. 6.

modo desit omnis consensus, nunquam peccabit, quia actus cui nequivit resistere fuit involuntarius; tantùm autem deficit ne cogatur à lege, quantùm plures liberrima stupra contra illam committere doleamus. Suppositâ ergo lege ad quam tenemur, ex charitate provenit quod illam adimpleamus, quatenûs noscentes bonum tum in re præceptà, tum in præmio quod ex eà speramus, ad illud ex amore supernaturali accendimur; aut noto malo in culpà, & pænà futurà, ex timore Dei, ad illud vitandum resolvimur. (s) *Hilarem* itaque *datorem diligit Deus;* quia etiam opera, etsi præcepta, à nobis expectat voluntaria; sicut ex sperato bono jubemur libentiûs offerre Deo ea ad quæ tenemur: (t) *in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas - - quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Nec voces itaque percipit *Apologista*, confundens *coacta* jejunia, ea quæ liberè Christianus exequitur, etsi obligante lege *præcepta*.

8. Antiquiûs *Apologistà*, imò & ipso *Luthero*, erraverat seculo. 4. *Aerius*; cujus sectarii, jejunandum esse nunquam negarunt, sed asserebant, non teneri ad hoc ex præcepto Ecclesiæ, cui, authoritatem ad jejunia sub peccato præscribenda non concedebant, testibus *Epiphanio* (hær. 23.) & *Augustino* (hær. 63.) hanc hæresim refellentibus. Generaliûs autem omnem authoritatem condendi leges in conscientiâ obligantes, negaverant *Wiclevitæ*, & *Hussitæ*, contra quos Consilium Constanciense (sess. ult.); hosque sequutos *Lutheranos* & *Calvinistas* damnavit Consil. Trident. (sess. 7. can. 8. *de Baptizmo*) dicens: *si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ, vel scripta, vel tradita sunt, itaut observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint; anathema sit.* Authoritatem autem condendi leges in

(s) 2. Cor. 9. 7. (t) Eccli. 35. 11.

in conſcientiâ obligantes, ità perſuadet *Scriptura*, ut hâc convicti Lutherani noviſſimi, plenè non audeant eã denegare Eccleſiæ, ſicut contra ſacram traditionem fecêre primi; ut *Chriſtianus Chemnitius* (adnot. in Catech. Cunrad. Dieter. loc. de adiaphor. controv. 2. pag. 115.) dicat: *adiaphora, antequam introducantur, adiaphora ſunt & libera; ſed quando introducta ſunt, induunt naturam neceſſitatis, nec niſi cum conſenſu totius Eccleſiæ abrogari poſſunt, ut patet exemplo exorciſmi.* Et ipſe *Cunradus* (inſtit. Catech. Lutheri de bapt. inſtit. 40. pag. 526.) exorciſmum baptizandorum (contra *Calviniſtas*) ſervandum defendit; ſicut (inſt. 41. pag. ſequ.) Patrinos, more antiquiſſimo Eccleſiæ, adhibendos non negans, etſi nec conſentiens, introductos fuiſſe per *Higinium*, Græcum, Romanũ Pont. ſæculo 2., cujus Decreti meminit *Gratianus* (de conſecr. diſt. 4. cap. 99.) & noſter *Caranza* (in not. Marg. ad *Higin.* pag. 13.) etſi preceſſerit Apoſtolorum exemplum, orantium ante adminiſtrationem baptiſmi, ſicut ante impoſitionem manum, ut fideles Spiritum S. reciperent; adhibitósque *teſtes & Sponſores* in Cathecumenorum baptiſmo narret *Dionyſius Areopagita* (lib. de Eccl. Hierach. cap. 20.) Quomodo autem hæc inficiari poſſint non video; (u) *qui* enim *Eccleſiam non audit, ut Ethnicus* vitari debet, ex ore Chriſti; *qui Ecceſiæ Prælatos ſpernit*, (x) *ſpernit Chriſtum & Deum, qui eum miſit:* evidens autem habemus, ab Apoſtolis præcepta fuiſſe impoſita; (y) ut de *ſanguine, & ſuffocato* non comedendis, aut, *immolatis ſimulacrorum;* qualia (z) *perambulans, Paulus cum Silâ, confirmans Eccleſias, præcipiebat cuſtodiri præcepta Apoſtolorum & Seniorum;* clariſſiméque ipſe Paulus, (a) nuptis, à ſe invicem *non diſcedere præcipiebat, non ipſe, ſed Dominus; cæteris* autem,

L *ipſe*

(u) Math. 18. 17. (x) Luc. 10. 16. (y) Act. 15. 29. (z) ib. v. 41. (a) 1. Cor. 7. 10. 12.

ipſe dicebat, non Dominus: (b) *confidens* (Theſſalonicenſes) *quæ ſibi præceperat* ſervaturos - - (c) monens quoque Thimotheum, ut, ſecundum inſtructionem ſibi traditam, fidelibus *præcipiat & doceat*. Quod igitur *Diſciplina Eccleſiaſtica*, ad quam pertinet jus ferendi leges in ſacris, pertineat, etiam poſt Apoſtolos, ad Eccleſiam, nedum ſub cruce perſequutionis trium ſeculorum, ſed etiam poſtea, ipſamque rectè exequutam, licet proteſtantes, docuere plures quos forſam *Apologiſta* non legit; ut *Profeſſores Leidenſes* (diſp. 48. Theſi 17.) & alii. Nê autem dicat Apologiſta, à noſtris, ſive Latinis Catholicis, ſivê Græcis, hanc ſibi doctrinam obijcere, legat citatum ſibi celebrem *Pfaſium* (inſtitut. jur. Eccl. 2 p. cap. 15.) hæc ſcribentem: *Quod Diſciplina Eccleſiaſtica, in quantum pro fundamento habet jus clavis ligantis atque ſolventis, pertineat ad Eccleſiam, id penê apud omnes in Confeſſo eſt; PETRO enim à REGE SUPREMO ECCLESIÆ, hoc eſt à Chriſto, primitùs comiſſæ ſunt illæ claves, & poſtmodum OMNIBUS Apoſtolis. Non autem Petro, aut Apoſtolis traditæ ſunt, ut Perſonis ſingularibus: ſed ut rectiſſimè docet Alphonſus Toſtatus de Madrigal Epiſcopus Hyſpanus* (Abulenſis): *Originaliter Eccleſiæ: Nam ſi Petro traditæ eſſent ut Perſonæ, ſequeretur illud inconveniens, quod, mortuo Petro, non ampliùs ſupereſſent, quod inconveniens etiam obtinet, ſi Apoſtolis traditæ dicantur; nam & illi obierunt. Eccleſia itaque accepit claves à Chriſto, tanquam Corpus immortale, & Apoſtoli tanquam Miniſtri Eccleſiæ habent poteſtatem illam ſpiritualem ſecundum originem & radicem, Sacerdotes autem ſecundum uſum, Quare, Magiſtratui Politico, quà tali, neque in radice, neque in uſu & exercitio, Poteſtas clavium, ſeu diſciplina Eccleſiaſtiea in eâ formâ Competit.* Certè hic *Lutheranus* accerrimus non prævenit, ſe immediatê (cap. 17.) ſuffragaturum Magiſtra

(b) 2. Tkeſſal. 3. 4. (c) 1. Tim. 4. 11.

ſtratui politico pro authoritatè ferendi leges in ſacris; quādo hîc, talem, *Petro*, *Apoſtolis*, iſtorumque ſucceſſoribus, in perpetuum, *originaliter Eccleſiæ traditam DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM*, ex noſtro *Hyſpano Epiſcopo Abulenſi*, & docuit & convicit; etſi enim, ipſe, *ſolutionem & remiſſionem peccatorum* forſan intenderit, integrè, etiam nolens, totam *Diſciplinam Eccleſiaſticam* comprehendit.

Sicut igitur Apoſtoli legem tulerunt de ſanguine & 9.
ſuffocato non edendo; quæ poſtea, (ut alibi oſtendam expreſsè tractans de Ruthenorum jejuniis) ceſſante fine, ceſſavit; ſicut diem *Dominicam*, loco *Sabbati Judeorum*, celebrandam ſtatuerunt, ut docet *Catechiſmus Romanus*, juſſu *Pii. 5.* editus (par. 3. cap. 4.) cum conſtet (ex Act. cap. 20. 7.) *unâ Sabbati conveniſſe ad frangendum panem* (Sacrum,) Fideles, quod ſervatum eſt ab Eccleſiâ, & retentum; ſicut *Paſchæ* diem, à 14. Luna, in Dominicam ſequentem transferendam ab Apoſtolis accepiſſe, tenet ſanior Orthodoxia, quæ omnia in leges ſacras obligantes in conſcientiâ aſſumpta ſunt; ita jejunia, certis diebus & modo peragenda, præſcripta fuiſſe; eandemque authoritatem pro hac diſciplinæ Eccleſiaſticæ parte in Eccleſiâ viguiſſe, quis dubitat? Quisve ſanê orthodoxus, ſentiens, leges, adhuc civiles, in conſcientiâ obligare ſi juſtæ ſint, ut cum Apoſtolorum (d) Doctrinâ didicimus, negabit, ſub peccato teneri ad leges, quas ſtabilivit Eccleſia? Solus ille hoc faciet, qui, ſicut *Apologiſta*, Eccleſiam Matrem præcipere impotentem docens, non recognoſcit, quare ſibi intulit *Auguſtinus* (e) quod neq; *Patrem* Deum habeat, qui ſponſam ipſius *Matrem* non reſpicit - - Sic & Græci & Latini, vehementer ſuſpectum de hæreſi judicant eum qui jejunia uſu ſolvit, nec emmendatur correctus; quia inde ſuſpicantur, ad ipſum obligandum, authoritatem

(d) Rom. 13. 5. 1. Pet. 2. & alibi. (e) S. Aug. Lib. 4. de Symbolo. Cap. 10.

Ecclesiæ non agnoscere ; ut ex Latinis pluribus advertit Fr. *Philippus Maria Grossi* (Tom. 3. opor. moral. pag 49.); anteque ipsum, Canonistæ plures, ut (f) *Franciscus Peña*, & Author in (g) repertorio, apud (h) Farinacium: ex Græcis vero, non minoris numeri authores apud *Nicolaum Comnenum Papadopoli Cretensem*, (resp. 4 mistagog. sect. 2. n. 11. fol. 229.)

10. Hac authoritate (*invito Apologistà*) supposità, duplex ipsius maledicentia, in nostra jejunia, facilê corruet; dum scribenti (pag. 38.): *certos dies jejuniis destinatos - ciborúmque discrimen observatum, nullo testimonio, nullo exemplo comprobari posse*; siquidem superbit quod omnia legerit, opponere teneor plura, ut noscat quantum ex utrâque parte ignoret. Et primô, circa *Certos dies*, optimê finget *Apologista*, *Javorskium* Ruthenicê scribentem non capere; in eo siquidem (titulo seu dogmate 10. de jejunio, Ruthenicê *POST*) legisset, quod sibi non teneremur repetere; nec me compelleret, ut *Javorskium*, interprete usus, explicatum audissem, ut Apologistæ alia adderem. Audivi, ante citatos Canones 48. & 50. *Laodicenos*, quorum, Apologista, sibi postremum objiciens (pag. 45.) nec ex eo legem latam concedens, imò ad liberum jejunandæ Quadragesimæ morem sæculo 4. introductum (quam fatuê, dicam postea) confugit: audivi, inquam, citari canonem 19. *Gangrensem*, in quo lego: (i) *Si quis eorum qui continentiæ student* (si *Apologista*, Christianos omnes hic non intelligit, erit convictus, *incontinentiæ* reus) *absque necessitate corporeâ, TRADITA IN COMMUNI, JEJUNIA, ET AB ECCLESIA CUSTODITA, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus; anathema sit.*

Fuit

(f) Peña ad director. p. 2. ad cap. 1. de hæret. fol. 87. (g) Repertor. v. cognoscere. vers. sed an judex. (h) Farinac. de hæresi qu. 178. §. 2. n. 89. (i) apud Garanza. fol. 46.

Fuit nê Canon iste qui jejunia imposuit, aut supposita roboravit? Si verba, *TRADITA*, *CUSTODITA*, *Apologista* & *Lutherani* non capiunt, legant (apud suum Pfafium sæcul. 4. pag. 84.) damnatum hac in synodo *Eustachium*, seu *Eustathium Sebastenum, Ponti* Episcopum (apud *Socratem* lib. 2. hist. cap. 24.); cujus errores inter, (in Epistola (k) seu Argumento aperiendæ synodi narratos) habetur: *jejunia quæ in Ecclesiâ prædicantur, contemnenda asseruisse.* Et infra, de *Eustachii* discipulis: *unusquisque, per tales institutiones, AB ECCLESIASTICO CANONE RECESSIT, tanquam, PROPRIAS LEGES sibimet condidisse præsumens.* Constat ergo, ante sæculum quartum, *leges* & *Canones* circa *jejunia* extitisse, quorum inobedientiam synodus damnans, commemorat.

Unde nîl convinniceretur *Apologistæ*, si cum *Javorskio*, sibi repeteremus sanctorum testimonia; *Cyrili Hyerosol.* qui ad annum 386. vixit; Basilii, qui, 378.; *Gregorii Nazianz*, 390.; *Ambrosii*, qui 397.; *Chrisostomi* qui, 407.; *Augustini* qui 430.; *Cyrilli Alexandrini*, qui, 444.; *Theodoreti*, qui, 460.; *Dorothei*, *Cassiani*, *Ephrem*, & aliorum: quibus omnibus, nedum utilitatem, sed & obligationem jejunandi in quadragesimâ & aliis diebus, prædicantibus, reponet (ut pag. 45.), à sæculo 4. hanc jejuniorum consuetudinem invaluisse. Ad antiquiora recurrendum est, ut *Lutherani* videant, ab Apostolis exisse Traditionem hanc, quam Consilium *Gangrense* sæculo 4. supponit. 11.

Præter *S. Ignatium Martyrem*, qui *Joannis* Apostoli discipulus, Annô 111. pro Christo occubuit; quem (epist. ad Philippenses) memoratâ *quadragesimâ, post Passionis Dominicæ hebdomadam, feriis quartâ & sextâ, jejunium à nemine negligendum*, scribentem, *Javorskius* adduxit; alios addamus, ut nedum de praxi, sed de continuatâ Traditione 12.

(k) Idem fol. 44.

one quoque constet. Primus (sæculo 3.) sit *Urbanus I.* Pont. Rom. (An. 225.) qui, apud *Gratianum* (dist. 76.) supponens ea in usu apud Latinos, statuit, *ut jejunia quatuor temporum*, HOC ORDINE *celebrentur; Primum initio quadragesimæ; secundùm in hebdomadâ Pentecostes; tertium in Septembri; quartum in Decembri*, MORE SOLITO *fiat*. - Secundus, Græcus, *Clemens Alexandrinus*, (qui (l) A. 220. obiit) cap. 2. *Pædagogi*, *jejunia* & *Xerophagias ex Christianâ consuetudine* commemorans, adque eorum observantiam obligans. - - Tertius, *Callixtus I.* Rom. Pont., (an. circiter, 220.) (m) Hic (epist. 1. ad *Benedictum* Episc., apud *Gratianum*, eâdem dist. 76.) ex Apostolicâ traditione receptum jejunium quatuor temporum, *ob fructuum terræ abundantiam, quâ replemur à Domino ad alenda corpora*, servandum commendat, *ut ad alendas animas repleamur jejunio;* exemplo Ecclesiæ Mosaicæ, cui (Zachar. 8. 19.) præscribitur, *jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi*: quibus jejuniis, Latini, præter præparationem ad Ordinationes Ministrorum Ecclesiæ, ordinariè juxta Canones his temporibus fiendas, gratias Deo reddimus; pro receptis segetibus, in Pentecoste; pro vino, in Septembri; pro oleo, in Decembri; pro renascentiâ arborum, ante verem. - - Quartum, *Tertullianum* - - & Quintum *Iræneum*, (in fine sæc. 2. & initio 3.) siquidẽ Apologista pro se eos allegat (à pag. 41. ad 45.) infra adducam, resolvendo quid senserint; sufficiat pro præsenti, jam ipsos de jejuniis communibus & certis loquutos, Traditionem potiùs continuatam confirmare, quam jejunandi praxim refellere. - - - Sextus *Telesphorus* Græcus, Rom. Pont. (circa Annum 140.) decrevit (epist. ad universos, dist. 4. cap. *statuimus*.) jejunandam Quadragesi-

(l) Vide Petr. Annat. apparat. lib. 4. de sacris Eccl. PP. (m) Vid. *Caranza* fol. 15. & *Burium* pag. 26. in vita ips.

gesimam, septem plenis ante Pascha hebdomadibus; ubi, etsi apud *Caranza* (fol. 12.) videatur, solis Clericis *abstinentiam à carnibus* præscribere, quia *discreta esse debeat vita Clericorum à Laicis;* cunctis (n) tamen jejunio indicto, sicuti ab Apostolis constitutum erat, strictiùs ad Clericos attinere, tanquam exemplum cæteris daturos, asseruit. - - Septimus sit *Clemens* Romanus ipsius *Petri* discipulus; qui (lib 5. Const. cap. 17.) ultimis sex Quadragesimæ diebus, solum, suo tempore, permitti fidelibus esum *Panis*, *Olerum* & *Aquæ*, scribit, ut adveniente Passionis Christi memoriâ rigidius jejunaretur: quem laudabilem morem legimus in *Epiphanio* (hær. 75.) continuatum. Nec obstat, constitutiones Apostolicas à pluribus haberi ut Apochriphas, & *S. Clementi* suppositias; nam hoc non tollit quin ex illis jejunatum jam illis temporibus inferamus. Tandem *Canon 68. Apostolicus* (licet verò ab Apostolis Synodaliter non statuti dicantur à pluribus, in his tamen, quæ fidem & mores concernunt, (o) à Pontificibus, à Consiliis, ab ipsorumq; interpretibus, venerabile Apostolorum tempus probatur ex Canonibus illis) in quo *deponitur Clericus* & *communione privatur laicus*, qui *(præterquam si imbecillitate impeditur corporis) Sacram quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut Parasceven, non jejunaverit;* clarissimè demonstrat, jam illis temporibus, jejunium in praxi obligans, & tanquam mortalis peccati reum transgressorem (aliàs non fiendum) puniri gravissimâ anathematis pœnâ; continuaríque posteà, sæculo 4. in *Gangrensi*, Can. 19.; & sæculo 7. circa dimidium, in *Toletano 8.* Can. 9. - Si his antiquitatis monumentis, Lutherani non consentiant, cúmque eorumdem Novatoribus,

(n) Vid *Burium* in Thelesphoro pag. 13. & 14. (o) Vid Zepherin. Pap. epist. ad Episc. Sicil. ap. Gratian. dis. 16. circa an. 210. Synod. Trullan. can. 2. Leo 9. contra epist. Abbatis Niceti. - & alios. - -

bus, *nullo testimonio*, *nullo exemplo* jejunii legem *comprobari posse* (cum arroganti *Apologistâ*) adhuc dicant: satis est, quod Orthodoxi roboremur ex dictis.

12. Circa delectum, deinde, ciborum, ad quem à jejuniis evellendum, *Apologista*, sacra *Pauli* Oracula (à pag. 38.) *Epiphanii* (pag. 46.) & *Theodoreti* dicta confudit; monere teneor ipsum de *Encratitis*, *Marcionitis* & aliis, quos ipse (pag. 44.) commemorat; insuperque de *Ebionitis*, quos *Epiphanius*, (hær. 30. 50.) *Eustachianis* (apud Socrat. lib. 2. cap. 33.) & *Apostolicis* sæculo 12. reviviscentibus, (apud S. Bernardum Ser. 66. in Cant.); sicut apud *Augustinum* (hær. 25.) *Encratitis*; quos omnes universa semper Catholica proscripsit Ecclesia, eô quia, certa ciborum genera, abominanda & ex naturâ suâ mala, detestabantur; de quibus, si *Lutheranum* Authorem *Apologista* desiderat, adeat *Pfafium* (ad sæc. 2. cap. 5. §. 1.) *Saturninum* accusantem, circa abstinentiam ab usu *animatorum*; *Tatianum*, *quod vinum damnans*, etiam à Sacrificio Eucharistico expulerit, quare Hydroparastatæ dicti sunt; & *Encratitas*, usum matrimonii, & *animatorum cibum* proscribentes (§. 7. pag. 45.) insuper, idem de *Marcionitis* asserentem (§. 8. pag. 46.) quod cibos in se malos existimaverint: sed neque prætermittat *Apologista* (apud eundem sæc. 2. §. 6. pag. 45.) accusatos *Gnosticos*, quod *jejunia* improbaverint; sicut (ad sæc. 4. cap. 4. § 2. pag. 84.) *Jovinianum Monachum*, eô, quod *nullam tribuerit prærogativam jejuniis*, *aut abstinentiæ à certis cibis - - acerbè eapropter à Hyeronimo* (p) *refutandus*.

13. His quoque, & Catholicis, & Sectariis testibus, fateatur Apologista, quod: *cecidit in Syllam, cupiens vitare Carybdim*: alia siquidem fuit hæresis de immunditie naturali, & abominandâ ciborum, contra quam Concilium An-

(p) Lib. contra Jovinian.

Ancyran. Can. 14. in Clericos legē tulerat circa An. 308.; alia de non abſtinendo à certis cibis, jejuniorum tempore; utráque graſſante, valde jam ante ſæculum quartum, quaſi ipsâ Apoſtolorum ætate: in utrámque incurſum *Euſtachium*, profert Gangrenſe Conſil. (q) *Jejunia, quæ in Eccleſiâ prædicantur, contemnenda aſſerviſſe -- etiam cibos carnium, tanquam illicitos reputaſſe*: contra ſecundum errorem definiens, (Can. 2.) *ſi quis, carnem edentem -- cum religione & fide condemnat, velut ſpem propter hujusmodi perceptionem, non habentem, anathema ſit* (ubi, non abſtinere in jejuniis, ſed ſemper immundam & illicitam ſecundum fidem carnem dicere, condemnatur; ſicut Can. 50. & 52. Apoſt. idem legitur;) contra primum (Can. 2. allato) jejunia *TRADITA IN COMMUNI, & AB ECCLESIA CUSTODITA* ſervanda decernens. Damnavit ſemper, itaque, Eccleſia, cibos vitare tanquam immundos ex fide; laudavit eos, qui ſemper abſtinuerunt à carnibus ex devotione; præcepit, ab Apoſtolorū tempore, jejunia certis diebus ſervari ſolita, ciborū delectu. Deteſtandum errorem, habemus ex hucusque adductis: imitandam devotionem, ſuademus exemplo *Danielis* (cap. 10.;) *Baptiſtæ* (Math. 3. 4.;) *Chriſti*, nunquam, præter eſum agni Paſchalis, carnibus utentis, piſcibus pluries (Luc. 24. Joan. 21.;) *Petri Apoſtoli* (Nazianz. in orat. (r) de pauper. amor.;) *Mathei* (Clem. Alex. lib. 2. pædagogi. cap. 1.;) *Jacobi* (Euſeb. lib. 2. cap. 22.;) *Antonii* (Athanas. in vit.;) *Hilarionis* (Hyeron. in vit.;) aliísque prætermiſſis, ſanctiſſimi mei Patris *Dominici* (Eccl. in ejus offic.) qui abſtinentiam à carnibus, cum totâ Communitate nunquam à Prælato diſpenſabilem, in ſuo Sacro Prædicatorum Ordine ſervari voluit. Præceptum, juxta uſum, & Tra-

M ditio-

(q) Epiſt. cit. aperiendo Conc. Gangr. præpoſita. ap. Caranza fol. 44. (r) Apud *Comnenum* pag. 229.

ditionem Apostolicam tenemus, ex *Clemente* (lib. 15. cap. 37. ;) *Thelesphoro* (loc. cit.) ante ; & sæculo 4. antiquiorem testantur, *Basilius* (orat. 1. de jejun. ;) *Epiphanius* (hær. 75. & in calce lib. de hæres. compend.); *Cyrillus* hyerosol (Catech. 4.); *Augustinus*(lib. 1. de mor. Eccl. cap. 31. & seq. lib. 3. contra Faustum); *Hyeronimus* (lib. adv. Jovinian.); & alii plures. Audiat, inde, *Apologista*, Græci *Nicolai* (s) *Comneni*, de Lutheranis, judicium : *Arctoæ pestis authores, Nicolaitas, Valentinianos, asseclasque Joviniani, sequuti, contra delectum ciborum grundire ausi sunt: eorumque dicteriis primum contra temperantiam orthodoxam auditum est, quod in Græcos, è Pytagoreorum sectâ, Nebulones producunt.* Quid ergo mirum, quod *Apologistam*, simul in Latinorum & Græcorum jejunia dicteriis plenum, *Arctoræ pestis fautorem*, & *Nebulonem*, vocemus cuncti?

14. Et siquidem more & praxi cujusque Ecclesiæ jejunare, tam in numero dierum, quam in abstinentiæ modo, docent de præcepto, benè sentientes Latini, ac Græci; tantum abest, ut in modum abstinendi Græcorum, etsi præ Latinis compertô rigidiorem, Latini invehamur, ut præcitatus *Comnenus* (t), se præsentem, narret audisse (an. 1668.) Pontificis Maximi, tunc *Clementis 9.*, ad Collegii Græcorum alumnos, ex more, die Festo *Hypapantes* (Purificationis B. V.) candelam offerentes, directam *mirificam laudem, hujus, Græcorum, in jejuniis, castæ servatæ severitatis :* addente Pontifice; à se *maximopere diligi Gentem illam, olim, orbis terrarum Magistram, Ecclesiæ columen, &c.* Quod nemini mirum erit, scienti, Papam hunc, ex dolore captæ per Turcas *Candiæ*, obiisse; quare, juxta Prophetiam, vulgô *Malachiæ*, dictum, *Sydus olorum*, explicuit quidam in Epigrammate: (u)

Ut

(s) Comnen. resp. 4. Sect. 2. n. 12. pag. 229. col. 1. (t) Ibidem Sect. 1. n. 10 pag. 218. col. 2. (u) Vid. Burium in ips. vita.

Ut moriens modulatur Olor, sic Candia, eidem,
Non moduli, at gemitus, causaque mortis erat.

Imò, idem *Comnenus*, inter plura Pontificia decreta 15.
(penes (x) *Allatium*) jubentia usurpari à Græcis commendabiles ipsorum mores & ritus, hæc addidit. (y) *Mores nostri, Romæ, hoc sæculo, puplicè usuveniebant, ex diplomate* (num. 62.) *Urbani. 8., donec ad evitandum incommodum alumnis Collegii nostri, peculiari privilegio indultum est, moribus Latinorum ut vivant, Græcos mores iterum accepturi, postquam Greciam redierint, nec acturi unquam, ut ad Latinum ritum transire illis liceat, ex præcepto ejusdem Urbani 8.* (dipl. n. 15.); *ad cujus instar, alumni iidem, etiamnûm, se se voto ac jurejurando solemniter obligant,* (infr. -) *scilicet, sede Apostolicâ approbante, in JEJUNIIS, A CIBIS, QUOS SANGUIS ANIMAT, abstinemus. &c.* concludit autem: *Romæ, Episcopo Græco olim petenti, ut sibi, quod alumnis Græcis ex Apostolicâ benignitate licet, liceret, ut nimirum jejuniorum more Latino peragendorum potestas fieret; graviter responsum, eum ob rem, à sede Apostolicâ, Græcum Romæ Episcopum detineri, ut EX GRÆCIS INSTITUTIS VIVENS, MORESQUE PROBATISSIMOS GRÆCORUM PROFESSUS, Schismaticorum refellat calumnias, asserentium, mores Græcorum à Romanâ Ecclesiâ damnari.* Sic venerantur Latini Catholici, antiquam Græcorum in jejuniorum cibis temperantiam: sic detestantur & proscribunt Gnosticam renovatam in Lutheranis ingluviem: Sic *Apologistæ* mordacis infringitur veneniferum in sacra jejunia telum. 16.

Quid enim, iste, (pag. 38. 39. & 40.) duplex illud, jam diu â *Lutheranis* detorto sensu corruptum, contra nos, repetit Apostolicum testimonium: Si eâdem pag. 39. asserit, in primo (1. Cor. 10. 25. 27.) distinguere *Paulum*, *idolothita* à cibis cœteris; in secundo verô, (Colos. 2. 16. 20,) ad-

(x) Leo Allat. lib. de interst. à pag. 5. ad 29. (y) Idem Comn. loc. cit. n. 8 pag. 117.

addit, caviſſe à *Cerinthianorum* erroribus? Nec pudet eum, qui ſe Doctorem, & Profeſſorem publicum Theologiæ jactat, ex teſtimoniis, extra rem, juxta ipſum, adductis, negativo hocce argumento fidere (pag. 39.) *Si tamen certo tempore, certisque diebus, Chriſtiani, ab hoc aut alio ciborum genere ſe abſtinere debuiſſent, haud dubiè, exceptionem quandam, aut reſtrictionem addidiſſet Apoſtolus, nec dixiſſet: Omne quod in macello venit manducate.* Parcatur mihi quod etiam imerenti reſpondeam; (z) *ſapientibus*, enim, *& inſipientibus debitor ſum.* Quis equidem inter nos tyro, ad refellendum *præceptum*, quod nemo Græcorum aut Latinorum vocavit unquam *Divinum*, ſed omnes fatemur *Eccleſiaſticum*, auderet arguere; ex eo quod verbo Dei ſcripto non habetur expreſſum? Vapularis meus calamus non videatur injuſtus deſipienti Scholaſtico; quia non adaptatur hìc cenſura Doctori. Satis fuit demonſtraſſe *ex verbo Deo ſcripto*, quod teneamur *parere Eccleſiæ*, ſicut ſupra fecimus; ut continuâ ſæculorum ſerie manifeſto hujus præcepto & praxi adductis, cõvincamur de lege. Hinc, diſcant, & *Lutherani* obedire, & *Apologiſta* arguere. Prohibitis idolothitis; non prohibebãtur, cœtera quæ Judæis, evacuatâ lege, jam licita, contra prænominatos hæreticos, Apoſtolũ docuiſſe, communis eſt SS.PP. conſenſus, & *Apologiſta* fatetur; dum ait; *omne quod in macello venit manducate;* Si hoc præceptivê dixiſſet, malê edocuiſſet Romanos (14. 21.:) *bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Si, quemadmodum Apologiſta, vellem arguere, dicerem, quod Paulus, in primo loco, *reſtrictione* nullâ uſus, præceperit, ſemper edendum *ex macello Corinthi;* conſuluerítque, *Romæ*, à Macello abſtinere; ſed abſit aliud inferre, quam; conſuluiſſe abſtinentiam; evacuatam aſſeruiſſe legem Moſaicam in cibis; nil autem derogaſſe

(z) Rom. 1. 14.

rogasse juribus præcepturæ Ecclesiæ jejunia per ciborum delectum. Pro secundo, quem adducit, loco Apostoli. (Col. 2. 16.) *nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum;* miror, *Apologistam* non prælegisse, (v. 8.) *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, aut inanem fallaciam, secudum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum;* ut *Traditionem* Ecclesiasticã, cum *inani* antiquorum *fallacià* confunderet: certè timuit retorquendum sibi telum pro Lutheranorum commentis: legit (in ipsâ Biblicâ capitis paraphrasi;) *hortari*, Apostolum, *ut caveant ne ullis, aut persuasionibus, aut imposturis Philosophorum, seu LEGEM* (Mosaicam) *INDUCERE VOLENTIUM, seducantur à Christi fide:* ideô *Cerinthianos* (pag. 39.) vitandos fassus, motivum finxit, ob quod ipsos confutasset Apostolus. Scribit ita: *quum non deessent ex hæreticis, qui in ciborum discrimine singularem sanctitatis laudem quærerent, istudque obtrudere aliis adniterentur; acriter eos reprehendit Apostolus; &, ut ab iis (Cerinthianos ut admodum est verosimile innuens) sibi caverent, Colossenses admonet* &c. En peiorem historicum, quam antea pravum Scholasticum; sed pessimum dicamus Confictorem. *Cerinthi* hæreses, cum *Ebione*, ex (a) *Ireneo, Epiphanio*, & *Augustino*, forsan Apologista non crederet: Lutheranum *Psafium* repetat; ut qui (b), *in Philosophiâ hebræorum;* ad *Valentinianorum Æonum* indagandam sæculo 2. originem, *celeberrimum Jenensium Theologum Joannem Franciscum Buddeum*, Gratis sibi datà laureà, præconizat; ejusdem mominis & qualitatum *Apologistam*, circa primi sæculi historiam, edoceat. *Cerinthiani* (inquit Psafius) *& Ebionæi, contra quos Evangelium suum scripsisse dicitur veteribus Joannes, Christi divinitatem præcipuê negavere, NECESSITATEM*

 ITI-

(a) In libris istor. de hæresibus. (b) Psafius sæc. 2. cap. 5. §. 4. pag. 42.

ITIDEM SERVANDÆ LEGIS MOSAICÆ, *statuerunt*. Est ne hoc, *quærere sanctitatis laudem* in delectis jejuniorum cibis, seu *ciborum discrimine*; aut legem Mosaicam, in ciborum quorundam prohibitione perpetuà servandam, statuere? Secundum docebat *Cerinthus*, & proscripsit Apostolus; primum, sine Hypochrisi, ut legem Christianam servemus, exequimur Catholici: primum cum secundo confundit *Apologista*, ut gulosos prodat, & indoctos seducat.

17. Secundô (pag. 41.) *Irænenm* producit; qui epist. ad *Victorem* Rom. Pont., verbis ex *Eusebio* sumptis (lib 5. c. 24. pag. 192.) videatur, certa in Ecclesiâ jejunia, in fine secundi sæculi, denegare. Sed si *Apologista* verba Irenæi rectê perpenderet, & motivum, non *reprehendendi*, ut ipse ait, sed *consulendi Victoris*, meliùs inspexisset, hunc S. Ecclesiæ Doctorem non memorasset. Verba, sicut Apologista scribit, refero: *Neque enim de die solum* (scilicet Paschatis) *controversia est*, *sed etiam de formâ ipsâ jejunii* (Pascha antecedentis.) *Quidam enim existimant*, *unico die sibi esse jejunandum*, *alii duobus*, *alii pluribus*; *nonnulli etiam quadraginta horis diurnis*, *ac nocturnis computatis*, *diem suum metiuntur*. *Atque hæc in observando jejunio varietas*, *non nostrâ primum ætate nata est*, *sed longe ante apud majores nostros cœpit*, *QUI NEGLIGENTIUS*, *ut verò simile est*, *PRÆSIDENTES*, *EX SIMPLICITATE*, *& IMPERITIA*, *ORTAM CONSUETUDINEM*, *POSTERIS TRADIDERUNT*. Arma nobis dedit; in ipsum *Apologistam* vertantur. Ergo *JEJUNIUM ANTE PASCHALE* ab omnibus servabatur; *varietasque in OBSERVANDO* (igitur præcepto) *JEJUNIO*, nedum tunc, sed *LONGE ANTE* (sæculo vix completo post Apostolos) *IRENÆUM*, ex his, qui *NEGLIGENTIUS PRÆSEDERUNT*, ex

(c) Idem. sæc. 1. cap. 4. S. 3. pag. 19.

ex eorúmque *SIMPLICITATE & IMPERITIA* orta, increpanda *consuetudo* provenerat, & vitiata *Traditio.* Indoctior noscet, illationem hanc, nullâ ex parte inficiandam; *NEGLIGENTIA* enim *PRÆSIDUM* Ecclesiæ non augeret jejunia, sed minueret; eodemque modo, *observanda* ea quæ fierent prædicasse, si lex non obstrinxisset, non *NEGLIGENTIA* fuisset, sed *zelus.* Nec capio, quomodo, si tantum verba calleret, hinc negare legem duorum illorum sæculorum prætenderet, quando malè *OBSERVATA*, & ex *NEGLIGENTIA* devians, *ORTA CONSVETUDO* supponitur.

Neve Apologistæ, aut Lutherano cuicumque, restet 18. effugium, inspiciatur *Irenæi* motivum. Lis inter *Asiaticos* cum *Polichrate* Ephesino Episcopo, & ferè omnes reliquos Christianos, fuit directè circa celebrationem Paschæ, indirectè verò *circa jejunium,* non quando incipiendum, sed *quando solvendum;* quia etsi istud *ex negligentiâ, & imperitiâ* diversimodè servaretur, æquè, etsi diversâ die, terminabatur in Paschate: signū ergo est, quod major erat differentiâ, in solutione jejunii, propter Pascha, quam in illius initio; nam ex diversitate Paschatis & interpolatorum dierum in jejunando, primitûs, in particularibus Ecclesiis, venisse nomina *Septuagesimæ*, (d) *Quinquagesimæ, &c.* est certissimum; quatenus Septuagesimâ die ante *Pascha* incidente, indicebatur jejunium, ut per decem hebdomadas (non jejunatis Sabbatis & Dominicis ex Can. 65. Apost., & feriis 5. ex decreto (e) Melchiadis in honorem Ascensionis Dominicæ, quod antea observabant plures Ecclesiæ) fieret Quadragenarius dierum numerus; indeque mansit Dominica in Septuagesimâ, idest immediata post diem Septuagesimam ante Pascha, sicut Sexag. Quinquag. & Quadragesima; anticipando, aut post-

po-

(d) Vide *Burium. Onomasticon.* ver. *Quadragessima.* (e) apud Carranza. fol. 27.

ponendo initium jejunii, juxta incidentiam Paſchæ, diverſimodè per particulares Eccleſias. Hinc nata differentia dierum jejunii; quæ (quin dicamus ſuppoſitia *Irenæi* verba adducta, etſi ex *Euſebio* ſumpta, ſicut de tertio fragmento epiſtolæ ad *Victorem*, ex *Bibliothecâ Taurinenſi* deſumpto, convicit eruditus (f) *Scipio Maffeius*) potuit, ex *negligentiâ Præſidum*, in quibusdam Eccleſiis, talis devenire, ut ad paucos reduceretur dies, jejuniū. Etſi forſan loquatur *Irenæus*, (& eſt verôſimilius) de *ultimæ hebdomadæ diebus*, in quibus rigidiùs jejunari, ex *Clemente*, & *Epiphanio*, ſupradiximus, qui, ex diverſo *Paſchatis* die, incerti erant ad unum, duos, vel plures. Quod clariùs patet; nam litigaſſe *Victorem* & præcepiſſe, nedum circà Paſchatis diem, ſed *circa ſolvendum jejunium*, ut ex *Euſebio* ipſo expreſsè ſcribunt (g) *Caranza*, (h) *Annatus*, (& ex Lutheranis *Krommaierus* Cent.2. pag.203.;) oſtendit, ſæculo ſecundo, jejunio Antepaſchali ſuppoſito, curâſſe Romanos Pontifices, *Anicetum*, *Soterum*, *Pium I.*, *Eleutherium*, (ut *Krommaierus* numerat;) acriùsque, minato Anathemate, *Victorem I.*, ut correctâ *negligentiâ præſulum*, idem eſſet *Paſchæ* præmittendū, à cunctis jejuniū. Inſuper, (*Pfaſio*, & expreſſius *Krommaiero*, Lutheranis teſtibus, ibidem) ferè omnium, præter Aſiaticos, unitas in Paſchate & jejunio, certiorem dat Eccleſiæ ab Apoſtolis latam legem, quam eam tollat *conſuetudo* Aſiaticorum, *orta* (juxta *Irenæum*) ex *Præſidentium negligentiâ ſimplicitate*, & *imperitiâ*. Catholicis credentibus, prætermitterem; ſed *Lutheranis*, ſui *Krommaieri* verba reſcribam. *Quare, ſex concilia Provincialia ſuper hac causâ fuerunt habita; Romanum, à Victore; Cæſarienſe, à Theophilo; Gallicum, ab Irenæo; Ponticum, à Palama; Achaicum, à Bachilo: & Aſiaticum*

(f) Epiſt. ad Abbat. Bachininm, prima in Tom. 16. ſecunda tom. 26. Giornale de letterati d' Italia. (g) Caran. fol.14. (h) Annat. Lib.4. art. 11. pag. 292.

cum à Polycrate. In quibus tamen omnibus Synodis (excipere debebat Afliaticâ) *communiter decretum est, ne liceat, nisi in die Dominicâ, in quâ Dominus resurrexit, & in quâ mundus conditus est, Dominicum Paschæ celebrare mysterium; ATQUE IN HAC SOLA, JEJUNIUM PASCHALE ESSE SOLVENDUM - - morem gesserunt hisce decretis, Orientalium nonnulli* (dicere debebat ferè omnes;) *qui verò ritui à majoribus accepto tenaciùs adhæserunt, odioso & schismatico Quartadecimanorum nomine fuêre ostentui habiti, donec tandem in Concilio Nicæno, inter œcumenica primò, major pars minorem ad se pertraheret.* Definitam enim fuisse in Concilio *Nicæno I.* celebrationem Paschæ fiendam ab omnibus Christianis die Dominicâ, quartamdecimam lunam insequente, etsi non habeatur inter vulgaria Synodi illius decreta, legitur tamen apud historiâ tripartitam *Theodoreti* lib. 2. cap. 12. in Epistolâ Concilii illius ad Alexandrinam Ecclesiam & fratres per Egyptum & Lybiam & Pentapolim constitutos: *Evangelizamus vobis, & de consonantiâ sanctissimi Paschæ, - - itaut omnes Orientales fratres, qui cum Judeis primitus celebrabant; - - consonè cum Romanis* (Pascha) *debeant custodire.* Ecce constans totius Ecclesiæ praxis, in Paschate celebrando, & SOLVENDO JEJUNIO; ut jam secundo sæculo, soli Asiatici *ex negligentiâ præsulum* errantes, in Ephesinâ *Polichratis* Synodo, contra reliquos, errorem sustinere voluerint. *Irenæus* autem, qui *Smyrnensis* (i), cum *Florino*, *Polycarpi* discipulus, unde *Lugdunum* venerat, rerum *Asiæ* gnarus, defensionem illorum sumpsit ab Anathemate, non quia non errarent, sed quia error eorum ortum haberet ex *ignorantiâ imperitiâ*, & *negligentiâ Præsulum.* Hinc ad *Blastum*, Presbyterum Romanum, Gnosticum, *Valentini* Sectarium, & *Florinum* condiscipulum, utrumque ob *Quartadecimanorum* schisma à *Victore* depositum, fertur, (k)

N ace-

(i) Vid. Petr. Anat art. 11. cit. (k) Annatus ibid.

acerrimè *Irenæum* scripsisse, quia isti non ex ignorantiâ, sed ex malitiâ, pretextu ritus Paschalis, Judaismum in Ecclesiam inducere cogitabant, quibus validè se opposuit; dum ignorantiam Asiaticorum corrigens in Lugdunensi Synodo, à *Victore* minimè puniendam consuluit.

19. *Tertullianum*, tertiò, opponenti nobis *Apologistæ*, respondere fas esset, quod *Hieronymus* (l) ipsum citanti *Helvidio*: *Tertullianum, hominem Ecclesiæ non esse*; cujus, jam Montanistæ, (m) *consequens error* (juxta *Hilarium*) *scriptis probabilibus detraxit auctoritatem*: solum verò dicemus, *Gelasium I.* Rom. Pont., in Synodo quadam *Romanâ*, opuscula *Tertulliani* dixisse Apochrypha, cautêque legenda, nedum ea quæ contra, sed plura pro Ecclesiâ conscripta; eodemque modo, scripserat (n) *Hieronymus*, evolvenda, sicut opera *Origenis*, *Novati*, *Arnobii*, *Apollinaris*, &c. Non igitur dicam, cum *Nicolao Comneno* (o) citato, adducenda verba *Tertullianum* scripsisse, responsurum *pro Christianis*, calumniam eandem *superstitionis*, *ac jactantiæ passis ab Ethnicis*, *quam nos* (Orthodoxi præsentes) *patimur à Novatoribus*: nam certissimum est, quod *Apologista* dixit (pag. 42.) Montanistam jam fuisse *Tertullianum de jejunio* scribentem, *causamque Montani contra Catholicos agere*, (ut videat Apologista, nos, etiam ab ipso objectam, veritatem fateri:) scripsit siquidem librum hunc de jejuniis, adversus *Psychicos*, idest *animales*, quo nomine vocabat Catholicos, *Pauli* dicto abutens, (p) *animalis homo non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt*, quia negantes Catholici mentitum illum *Montani Paracletum*, rejicientésque Montanistarum doctrinas, severitatem jejuniorum illius non sequebantur, secundas nuptias cum ipso non damnabant, & alia. Noviter ergo docuerat *Montanus*, cele-

(l) Hieron. ad Helvidium. (m) Hilar. com. in Math. (n) S. Hieron. Catal. scr. Eccl. (o) Comn. resp. 4. Sect. 1. n. 9. pag. 217. col. 1. (p) 1. Cor. 2.14.

celebrandas esse tres in Año quadragesimas; nempe ante Pascha, post Pentecosten, & ante Dom. Natalē; contra quem scribebat *Hieronymus* ad *Marcellam* (epist. 54.) : *nos, unam quadragesimam, secundum Traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo, jejunamus, illi tres in Annô faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores : non quod & per totum Annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Hoc scripsisse *Hieronymum*, secundum Latinorum ritum, nemo dubitat, qui sciat, ex immemorabili sacrâ consuetudine, *Græcos* lege adstringi, præter *magnam Quadragesimam* ante Pascha, ad tria diutina alia jejunia, scilicet ab octavâ die Pentecostes, ad festum Petri & Pauli ; à prima Augusti, ad festum Assumptionis B. M. V. ; & à 14 Novembris, ad Natale Dominicum ; quæ, abstinentiâ non æquâ, (permissis scilicet piscibus in jejuniis Festum Apostolorum præcedentibus, *Goario* (q) teste, inter Ruthenos integrè adhuc) servari, explicabo (alibi de eorum moribus tractaturus) diffusiùs. Unde nedum credam impugnatum à *Hieronymo* (& ab aliis,) (r) *Montanisticum* jejunium, quia *necessariam triplicem* assereret *quadragesimam*, alias distinxisset sine dubio *Græcos*, quorum mores non ignorabat *Hieronymus* ; sed quantûm conjicio, ob ejusdem, & plus *Tertulliani*, motivum. Accusatur à pluribus *Montanus*, cum *S. Augustino* (apud Petrum Annatum lib. 7. art. 4. §. de Montanistis, pag. 308.) quod se *Paracletum* doceret ; vel ab aliis, quod ita se, præ Apostolis ipsis, Spiritu Sancto afflatum specialiter dixerit, ut Montanistæ, *sibi, non Apostolis, cum Spiritu S. gratiarum plenitudinem, infusam esse crederent, & docerent.* Hâc, per quendam *Proclum*, delusus *Tertullianus* insaniâ, *Româ pulsus*,

(q) Goarius in Euchólog. Græc. (r) Rigaltius in paradoxa Tertulliani.

ſus, Carthaginemque rediens, (ut præter (s) *Hieronymi*, *Baronii*, pluriumque Catholicorum teſtimonia, verba (t) *Krommaieri* dem propria) *Paracletum* quoque *nominavit Montanum: diſtinguant* etſi *nonnulli*, *inter Montani Paracletum*, *&* *Tertulliani* (ſeu Paracleti vocem:) *Hunc*, *voce Paracleti*, *Spiritum S. ſingularium revelationum Authorem; illum verò* (Montanum) *majorem Spiritus Sancti plenitudinem, quam quæ fuit in Apoſtolis intellexiſſe, imò ſeipſum Paracletum dictitaſſe.* Quisquis ergo legerit *Tertullianum* ipſum (lib. de jejun. cap. 15.) dicentem: *DUAS IN ANNO QUADRAGESIMAS Xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo*, *duas* jam celebriores *quadrageſimas*, Paſchatis, & Pentecoſtes, innuentem: non nê inferet, *Tertullianũ* & *Montaniſtas*, ſecundâ Quadrageſimâ, celebraſſe Spiritus Sancti in *Montanum* confictum deſcenſum; iſtamque *præceptivè* inter Montaniſtas impoſitam? Scimus, (ut omnia ex Tertulliano ab Apologiſtâ objecta jam complectamur,) *Tertullianum* non vitaſſe cibos, *ad deſpicienda opera Creatoris* (ut pag. 44. citatur ex lib. de jej. cap. 15.;) cujus erroris liberum dicit *Paracletum*, ideſt *Montanum*. Sed quoque ſcimus, nec Montanum tres, nec Tertullianum duas præcipere potuiſſe Quadrageſimas; unde juſtè *Apollonius* citatus (pag. 43., ex Euſeb. lib. 5. cap. 18.;) ſibi objicit: *quis eſt novus ille Doctor? opera ejus & doctrina ſatis apertè produnt. Hic eſt, qui nuptiarum diſſidia docuit, qui jejuniorum leges* (ultra ſcilicet Eccleſiæ) *impoſuit.* Aut, conjecto quod in honorem miſſi in Montanum *Paracleti* jejunaverit, nemo non dicet ſuperſtitioſiſſima jejunia, & ſacrilega.

20. Hæc ſibi oppoſuiſſe Catholicos, probant verba ipſa Tertulliani apud *Euſebium* lib. 5. hiſt. cap. 24., ab *Apologi-*

(s) Petrus Annatus lib. 4. art. 12. pag. 293. (t) Krommaierus. Cent. 2. de ſtatu Eccl. pag. 96. in nota marginali.

logistâ (à pag. 42.) nobis objecta, sed contra ipsum & Lutheranos cōvincentia; quæ sic repeto: *Arguunt nos* (Catholici) *quod JEJUNIA PROPRIA custodiamus:* non ergo communia Ecclesiæ observare accusabantur. *Certè* (pluribus interjectis) *in Evangelio, illos dies determinatos putant* (Catholici) *jejuniis, in quibus ablatus est Sponsus:* verè advertit ipse *Apologista* significari *Antepaschale jejunium*, receptum, non ex Evangelio, sed *ob ablationem Sponsi*, quam habemus ex Evangelio. *Et hos esse solos LEGITIMOS (dies) jejuniorum Christianorū:* igitur ante Paschalia supponebantur *LEGITIMA*, seu obligantia. *Itaque, de CÆTERO, jejunandum ex arbitrio:* si ex arbitrio jejunabatur *de CÆTERO*, ante Paschale jejunium erat *de præcepto. SIC*, & Apostolos observasse, *NULLUM ALIUD IMPONENTES JUGUM certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum:* Quid clarius, ut impositum ab Apostolis *jugum illud certorum jejuniorum Quadragesimæ in commune omnibus*, inferamus; non verò *ALIUD jugum*, quod ficto Paracleto Montani, sine Authoritate & ob motivum sacrilegum, imponebatur? Lutheranos ratiocinantes vellem in judices, num deliret *Apologista?* verba hæc producens contra jejunia præcepta & communia, quæ potius inferuntur ex ipsis.

Stupidiûs (pag. 45.) moto dubio contra se, ex 21.
can. 50. *Laodiceni Consilii*, negare jam impotens, sæculo quarto, *Quadragessimæ usum, aridisque vesci Christianos in diebus jejunio sacris;* non fuisse tamen *legem omnibus impositam*, sed doctrinam pro his qui liberê quadragessimam jejunare voluerint, *nê feria quinta postremæ hebdomadæ jejunium solveretur, dehonestareturque sic quadragessima tota*, (ut Canon loquitur) conatur suadere ex adonationibus Græci *Theodori Balsamonis* ad Canonem istum. Non dicamus tantum, hic, *Apo-*

Apologiſtam ſtupidum, ſed mendaciſſimum. Balſamon ſiquidem nulli Græcorum aut Latinorum jurisperito non patens, ita oppoſitum adnotat; ut (tum ad citatum Can. 50. Laodic. tum ad Can. 69. Apoſtolorum) dicat, (u) *nê in mortis quidem confinio, licere, niſi piſcibus veſci.* (x) addens; *nunquam, vel in mortis periculo, quartâ, & ſextâ feriâ, quadrageſſimæque jejunio, ægrotis, carnes permittendas eſſe.* Putavit proculdubio *Apologiſta*, *Balſamonem* à cœteris ignorari, ſicut ab ipſo, ideo, illo teſte, credidit mendacium confirmare: vel forsân, ſciens, *Balſamonem* ita Latinis infenſum, ut (in ſuis *Notis ad Nomocanonem Photii*, & alibi) Latinos à Græcorum ſacris arcendos, ſcripſerit, utque hæreticos habendos; cumque nec legerit, hunc, ab aliis Græcis, etiam Latinis non addictis, confutatũ, ut ex *Demetrio Chomateno* Archiepiſcopo *Bulgariæ*, habetur in (y) *Jure Græco-Romano*, putavit, Ruthenos, ſibi *Balſamonem* iſtum falsô citanti, nec comperiendâ veritate, credituros: Sed, taliter dicam *Apologiſtam* deceptum, ut ex citato *Balſamone* ortum duxiſſe putem auſteritatem illam nimiam, nedum in majori Rutheni populi parte ſervatam, ſed etiam à viris aliâs litteratiſſimis (me teſte & redarguente) ſuſtentatam veluti legem; quà, nec in ipſo mortis pervigilio, ægrotis, conſulente Medico, carneum jusculùm ſumere, Quadrageſſimæ tempore, licitum dicant; quomodo in ipſâ noſtrâ Legati Hiſpani domo, cuidam morienti Rutheno, etſi me contrarium procurante & ſuadente, conſultum à Parocho & Monacho Philoſophiæ Profeſſore publico, & ad mortem uſque ab ægroto ſervatum, vidi. Originem rigidæ hujus obſervantiæ quæſiturus, eruditiores adiens, audivi duplicem; ſed ut-

(u) Apud Nicol. Comnenum. reſp. 1. Sect. 3. n. 2. pag. 12. col. 2. (x) Apud eund. reſp. 4. Sect. 1. n. 9. p. 218. col. 2. (y) Tom. 1. lib. 1. reſponſ. pag. 311. ſequ. & 322.

utramque infirmam. Alius, sic sentire dixit cum aliis *Balsamonem*; sed hunc, legem non facere, immò in lege explicandâ errasse pluries, Græci ipsi reliquêre convictum. Alius, rationem adduxit, sed falsam: nullibi, dixit, inventurum me *canonem* Ecclesiasticum ægrotos à lege jejunii dispensantem, unde dispensatos inferre potuerim: nullibi tamen Canonem directè de jejunio decernentem, qui infirmos non excipiat, ad tollendos ignorantium scrupulos, repetam; siquidem mecum sensisse jam plures sapentiores in Russiâ, dicam: nam, Can. 68. Apostol, decernentē *deponendum Clericum; & comunione privandum laicum*, non jejunantes *sacram Quadragessimam Paschæ, quartam feriam, & Parasceven*, hæc addidisse lego (z) *præterquam si imbecillitate impeditur Corporis* - - Canone 19. *Gangrensi; anathema* dicitur ei, qui (a) *SINE NECESSITATE CORPOREA* (quam, ægritudines, & exercendos graves labores popularium, intelligunt cuncti) *Superbiendo, & stimulo suæ cogitationis impulsus, tradita in Communi jejunia, & ab Ecclesiâ custodita, solvit.* - Canone. 9. Toletanæ Synodi. 8. clariùs: (b) *Quisquis, sine inevitabili necessitate, atque fragilitate & evidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragessimæ, esum carnium præsumpserit attentare.* - - Item, *illi vero, quos, aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante, prohibita violare præsumant, quam à Sacerdote permissum percipiant.* His, & Græcorum, & Latinorum, Apostolicisque præscriptis, noscent Rutheni, *Balsamonem*, ægrotos ultra leges stringere; nec justê respondere, sicut audivi à prædicto Monacho; *nobis Sacerdotibus, non attinet ægrotos à lege liberos dicere, sed ipsis non abstinentibus juxta legem, ignoscere;* nam ignosci non debet, ubi non est culpa, nec culpa est, ubi lex ipsa excipit. Sed his edocti

(z) Apud Caranza. fol. 70. (a) Idem fol. 46. (b) Idem fol. 202.

cti Rutheni apertiûs noscent, Apologistam, aut despientem, aut deceptorem, dum *Balsamonem* prodit tanquam contra sanos injuste pium, quem potius dixerim in ægrotos crudelem. Hoc nostrum sapientissimum *Javorskium* ipsum, non latuit; cujus in *Patriarchali Moskuæ* Exarchatu Præfecti, litteras, circa cibos in jejuniis, dispensatorias, ad celsissimum Principem *Boriz Joannidem* de *Kurakin* directas; quas, Ruthenicê, mihi, ab ejusdem Filio Pr. *Alexandro*, porrectas, *originales*; ita Latinê verto - - *Descriptio ex libro.* KORMCHIA (seu formulario Episcoporum juxta Synodos) *de jejuniis sanctis - - - Excerptum, & confirmatum ex sanctis Patribus, & ex supradicto libro*, KORMCHIA - - - *Et in ipso libro KORMCHIA* (habetur) *Canon Sanctorum Apostolorum 69. Folio 19. typis expressum : - - - Si quis Episcopus, aut Præsbiter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor, in Magno jejunio* (idest Quadragessimâ) *non jejunaverit, & per totum annum, quamlibet feriam 4. & Parasceven, deponendus est : nisi impediatur corporali morbo. Infirmo enim dispensatio permittitur, juxta vires, butyrum ut sumat, & vinum. Si autem Laicus homo non jejunaverit, segregetur à communione fidelium - - - Synodi Particularis Gangrensis Canon 18. in fol. 59. - Si quis ex abstinentibus (* hoc est Christianis) *absque necessitate corporeà, superbierit, & tradita iu communi jejunia, & servata ab Ecclesià dissolverit, cum plenâ advertentiâ; Anathema sit - - - Sexti Oecumenici Consilii, canon. 56. in folio 195. - Armeni, in S. Magnâ Quadragessimâ, caseum & ova comedunt, quolibet Sabbato. Præcipit ergo Synodus, ab his abstinere. Si autem aliquis huic non obedierit, segregetur; si verô Ecclesiasticus, deponatur - - Canon 14. S. Archiepiscopi & Mart. Petri Alexandrini, in folio 262. Feriam 4. & Parasceven jejunemus, siquidem feria 4. est honoranda, quia, in illâ, consilium habi-*

tum

tum est, ad Christi venditionem: die Parasceves, salutaris Passio - - . Thimothei Archiepiscopi Alexandrini, Canon. 10. folio 270. - Qui usqne ad extremum vitæ morbo infirmatur, etiam hebdomadâ ante Pascha, comedat butyrum, & bibat vinum - - Hìs extractis, ex canonibus sanctorum, de jejuniis Ecclesiæ Orthodoxæ Orientalis; Ita placuit Spiritui S. & Nobis - - - Siquidem V. Excel. manifestavit nobis vestram infirmitatem, & talem constitutionem, quod prorsus nequeat haberi salus sine esu carnium, in quo, & Medici experti testimonium vobis dederunt, & præscriptionem regularis vitæ; & V. Excel. petiit à Nobis dispensationem pro tali cibo: laudamus hanc pietatem vestram, quia, uti filius Ecclesiæ sanctæ, sine benedictione Pastorum Ecclesiæ, non audeas hoc in posterum facere, & de anteactis absolutionem petis. Ideô jurisdictio Nostra; gratiâ, dono, & potestate sanctissimi & vivificantis Spiritus, collata â Salvatore N. JEsu Christo Divinis ipsius Apostolis & discipulis, ligandi atque solvendi peccata hominum, dicente ipsis: Accipite Spiritum S.; &: quibus dimiseritis peccata, dimittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt; & : quæcumque alligaveritis in terrà, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveritis in terrá, erunt soluta & in cœlo - - - Hujus Gratiæ, & potestatis Spiritus Sancti, siquidem & ego indignus, à Christo & Apostolis, successivê, particeps factus sum: ideo, Tibi, Filio meo spirituali, Principi BORIZO, potestate, mihi à Christo datà Archiepiscopali; remitto præteritam comesturam carnium in jejuniorum tempore: & PROPTER CONSERVANDAM SALUTEM, NOSTRO IMPERIO VALDE NECESSARIAM, IN POSTERUM DISPENSO circa eundem cibum; &, nomine Domini, benedico: Cum hac admonitione, tamen; quod in magno jejunio ante Pascha, & etiam feria 4. & die Parasceves, omnium jejuniorum, propter Commemorationem Passionum Domini, abstineas te â carnium

nium

nium esu. Si autem prorsûs impossibile fuerit, & necessitas extrema infirmitatis urserit; dispensamus, & in istis diebus, parum aliquid de carnibus sumere, sed non ad satietatem: quia & hoc, infirmis, & debilibus, imputabitur pro jejunio, quando esurientes, cibis non utuntur ut satientur, nec satisfaciendo appetitui usquedum satisfiat. Cœtera verô, pietatis vestræ, juxta Ecclesiasticos canones, in quantum fieri possit, prudenti recomendo observantiæ; ut ita saluti corporis consulens, animam servis integram; & de vitâ temporali curam habens, non amittis æternam. -- (Supscriptio) *Humilis Stephanus Metropolita Resanensis, & Muromensis - - Petropoli. Anno 1720, Die Augusti. 22. - - (Sigillum Archiepiscopale:* Manus, ad se cruce signandum, *Ruthenæ* Ecclesiæ more, parata) - - Hæc de verbo ad verbum versa transcripsi; ne nimietati credatur *Balsamonis* in jejunii lege; neque scrupulis terreantur ægroti.

22. Producit quintô Apologista, *Epiphanium* (ut ipse advertit pag. 46.) disputantem contra, *Apostolicos* vocatos, hæreticos; qui, teste *Epiphanio* ipso, hæresi 61. *Apoctatici, hoc est renuntiatores* vocati sunt, eo quia bonorum possessionem docebant illicitam: *iidem porrô à Tatiani dogmatibus propagati, hoc est, ab Encratitis & Catharis* (idest Continentibus & puris) quos, nuptias, ciboscque carneos tanquam in se malos detestasse, diximus supra, etiam ex *Lutheranis* authoribus. Quid ergo commune istorum cũ *Orthodoxis*, qui nullum cibũ, quia ex se malum, vitandum dicimus, etsi diebus jejunii vetitas carnes & à carnibus procedentia doceamus? Eodem modo scripsit *Epiphanius* (ibid): *Habet quidem renuntiationem Ecclesia, sed non ideô detestandas nuptias existimat. Habet bonorum inopiam, sed non adversus illos insolenter effertur, qui ea justê possident:* ac immediatê subjunxit; *ad hæc*

hæc, à ciborum uſu temperant multi (ideſt ſemper; ſicut Monachi, vel alii; voluntariè, aut ex voto) *ſed non contra eos, qui illis utuntur* (extra jejunia) *ſuperbè ſe gerunt* (c) *Qui enim manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat manducantem non judicet.* Sicut ergo, nuptias illicitas, aut bonorum juſtam poſſeſſionem, nefas ſtatuere, ita cibos naturâ malos dicere, ſemperque ideò vitandos, hæreſis Apoſtolicorum fuit, contra quos arguens Epiphanius, cibis pro libertate uti, aut abſtinere, Catholicos docuit. Certorum autem jejuniorum præceptæ à carnibus abſtinentiæ contradixiſſe *Epiphanium*, non ampliùs *Lutherani* contendant: vixit enim (d) ab anno 288. ad an. 403., cujus ultra ſæculum vita, coœtaneos habuit Patres Conſiliorum *Gangrenſis* anno (e) 324., & *Laodiceni* (f) an. 364. (vel apud *Apologiſtam*, 367.) quorum decreta non ignorans; illorum (Can. 19.) anathematizantium ſolventes jejunia; iſtorum (Can. 50.), *Xerophagia*, ſeu eſum aridorũ præcipientiũ; absq; dubio *Epiphanius* ſicut Apoſtolicos hæreticos reprobaſſet. Deſiſtantque aliquando, erroribus veritatem confundere, nam apud non ignaros, potius hi miſeri homunciones proprias Conſpurcãt chartas, quam Sanctis Patribus Eccleſiæ detrahant.

Nil ergo reſpondendum reſtat, his, quæ (pag. 47. 23.
& 48.) ex *Theodoreto, Socrate, & Sozomeno*, Apologiſta ſubbaddit. *Theodoretus* ſiquidem, relatas in quatuor libris, *Hæreticarum fabularum* hæreſes, confutat, quinto ſuperaddito libro; in cujus cap. 29. (ut idem *Apologiſta* notat) de his *qui à vino, eſuque carnium, tanquam abominandis*, abſtinendum eſſe docebant, ſermonem repetit: hos autem, incipiente (tempore ipſo Apoſtolorum) *Ebione, cum*

(c) Rom. 14. 3. (d) Vide Petr. Annatum. lib. 4. art. 22. pag. 379. tom. 1.
(e) Carranza fol. 44. (f) idem fol. 62.

Azimis, *alteram partem mysterii in solâ aquâ*, conficere; continuasseque sæculo secundo, in *Tatianis* & *Encratitis*, vocatis eapropter *Hydroparastatis*; præterquam ex (g) *Epiphanio*, diximus supra ex Lutheranis acceptissimo (h) *Pfasio*. Quis igitur non horreat, cum Christianâ primorum sæculorum in jejuniis pietate, fabulosas hasce â *Theodoreto* profligatas hæreses, confundere? Similiter, quod ipso sæculo 5. scribat *Socrates*, discrepantias in jejunando, *Romæ*, *Alexandriæ*, per *Achaiam*, & *Illiricum*, quis mirabitur? Sed quid inde contra nos concludetur, qui (supra ut vidimus) jam sæculo 2., *Irenæi* tempore, plures varietates, ex *negligentiâ*, *simplicitate*, & *imperitiâ* in particularibus Ecclesis introductas fatemur? Quid quod *Sozomenus* hos varios jejunandi usus, sæculo eodem confirmet? Hinc, *de hac re*, concludetur, quod, *nemo præceptum scriptum profferre possit*, ut (ex *Socrate* lib. 5. histor. cap. 22.) *Apologista* conatur, inferre? Si *Apostolicos* dictos *Canones*, non dicamus ab Apostolis scriptos, veneramur, pro majore parte, ab Apostolis *traditos*; cœtera, Pontificum, Consiliorum, Sanctorum Patrum, adducta jam testimonia, nos edocent; praxis Ecclesiæ ipsa Apostolica, sequenda nobis proponitur: *Lutheranis* non detrahemus, si de ipsis dicamus, quod de *Eustachio* Ponti Episcopo (præter *Gangrensem* adductam Synodalem Epistolam) scripsit ipse (i) *Socrates*, quod scilicet *Aerianis* adhæserint: qui, teste etiam *Augustino* (hæresi 53.) præter in *Arianorum* hæresim lapsum, *propria dogmata*, feruntur, *addidisse nonnulla*, inter quæ, *nec statuta solemniter celebranda esse jejunia; sed, cum quisque voluerit jejunandum, nê videatur esse sub lege*: quem errorem, innovatum, & damnatum à Synodo *Gangrensi*, in *Euchstachio*, Luthe-

(g) Epiphan. hær. 30. (h) Pfasius hist. sæc. 2. cap. 5. §. 7. pag. 45. (i) Socrates lib. 2. hist. cap. 24.

therani redintegrarunt, ut antiquissima jam ab Ecclesiâ proscripta deliramenta repastinent. Hos vitantes Orthodoxi, hanc tandem audiant, circa hucusque dicta, Augustini sententiam (k) *aliis diebus jejunare, remedium est, ut præmium, in quadragesima non jejunare, peccatum.* Rutheni verô, qui in jejunando, Græcorum sustinent morem, seniculi Imperatoris *Andronici*, relatum *à Nicephoro Gregora* (l) imitentur exemplum; cujus jam senescentis valde, sic narrat servatum jejunium: *apposita erant omnia testacea, propter jejunium illorum dierum; post quæ, cum merum bibendum fuisset, quo, vetulus stomachus, ad duriorem illum cibum conficiendum firmaretur &c.* Siccis quippe & aridis cibis, vescentibus, merum, ad roborandum stomachum, bibere, nemini dicam illicitum; suadebo tamen omnibus, (juxta (m) *Sobrietatem*, quam Apostoli præcipiunt), temperatum.

SECTIO IV.

A Patrocinio crapulæ, transit *Apologistæ* calamus ad atram lituram Sacrarum Imaginum (à pag. 48. ad 75.,) tamque contra veneratas oblatrat imagines, ut nec umbram rationalis hominis referat. Si mendacia, apud Lutheranos jam pridem contra nos inventis, non adderet, nec ità diutiùs, ut nunc opportet, nostrum calamum detineret. Pro stabilito dogmate cultus imaginum, legere debebat ipsum, quem impugnabat, laudandum *Javorskium*; qui *Dogmate I.*, quinque Paragraphis, illud, ex *Scripturâ*, ex *Consiliis*, ex *SS. Patribus*, ex *Historiâ Ecclesiasticâ*, & ex *miraculis*, ad colendas imagines, à DEO pa- 1.

 tra-

(k) Auguft. fer. 62. de temp. (l) Gregoras lib. 9. hift. cap. ult.
(m) 2. Tim. 4. 5. Tit. 2. 12. - 1. Petr. 5. 8.

tratis, convincit. Si Ruthenum *Javorskii* dialecton Apologistæ Lutherani non capiunt, non in ipsum Latinè invehant, quod millies à Latinis legêre oppugnatum. Inter Latinos plures, *Bellarminum* (n) offero, qui extensissimâ Controversiâ, *Lutheranorum* (& plus *Calvinistarum*) profligavit etiam somnia. Mirandũ tamen, quod, qui *Jesuitarum* tot Authores, ad Sacræ horum *Societati* maledicendum, in *Apologiæ* decursu, percurrisse se jactat; Eminentissimi hujus opera (quæ nec in *Russiâ* desunt) aut non viderit, aut non vidisse fingat; nè obmutesceret, eo nominato, qui Lutheranorum plurium ora jam clausit. Vocabit nos *Apologista* deinceps, ut, ipso invito, *Jesuitarum* pietas fulgeat: interim, siquidem ipsê nos compulit, diffusè circa à se tacta cuncta, & ultrâ, nos audiat.

2. Nomen cum primis, *Idoli*, quorum nos adoratores, & *Idolatras*, audet adhuc repetere, in *Lutheranos*, & hæreticos cunctos, vibravit Hieronymus (o); *Idolum* hæresi comparans, cum *Idolum* sit *falsa imago; hæresis* verò *falsa imaginatio;* de hæreticis explicans, DEI minas: (p) *Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultrâ; & pseudo-prophetas.* Ultra *falsam imaginationem*, utinam aliquando relinquant Lutherani impudentiam nobis impingendi *idololatriam*, quasi, ut scribit *Apologista* pag. 49.); *cultum illum, & honorem soli Deo debitum rebus aliis deferamus*, qui, nedum post *Lutherum*, sed primis jam *Iconomachis*, explicavimus, in Synodo generali 7., totius Ecclesiæ Religiosum nostrum in imagines cultum: (q) (Accione 2.) *Nos - - imaginum picturas, secundum priscam Patrum Traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus*, UT IN NOMINE CHRISTI DEI NOSTRI, EI

(n) Tom. 2. controv. 4. lib. 2. per totum. (o) S. Hyeron. in cap. 2. Habac. & 13. Zachariæ. (p) Zachar. 13. 2. (q) Apud Caranza fol. 244. sequ.

DEI-PARÆ, & OMNIUM SANCTORUM, FACTAS. *SED APERTIS VERBIS TESTAMUR, NOS DUMTAXAT IN UNUM DEUM VERUM, LATRIAM, hoc est cultum & fidem nostram, REPONERE.* Et, (Actione 4.) ex lib. 4. *Athanasii* contra *Arianos*, infertur, quod: *omnis honor imagini exhibitus, ad prototypum refertur.* Sicut ex cap. 7. *Basilii* ad *Amphilochium*, de Spiritu S.: *Colligitur; falsum, & stultum esse axioma, quod falsa Synodus* (id-est antecedens sub *Copronimo*) *sparserat; quicumque imaginem adorat, in duo Christum dividit.* Clariúsque Act. 5. (objectis ex parte hæreticorum testimoniis, Exod. 20. & Levit. 6., de non fiendis, aut adorandis, *sculptilibus*) explicat Synodus: *Si facimus hominum piorum similitudines, non tamen ea fiunt, ut adorentur ut Dii, sed ut eas videntes, ad imitationem facinorum illorum irritemur. Si verò Similitudines Christi facimus, sanè, non propter similitudinem adoramus, sed quo mens, per ea quæ conspexit, sursum volet -- Non idem igitur, DEUM & IMAGINEM dicimus, sed Deum cognoscentes, similitudinem in imagine dispensationis illius humanæ figuramus. Gentiles autem errantes, similitudines, Deos esse arbitrantur.* Hæc sunt, quæ, ab octavo (imò (r) & septimo) sæculo, per decem sequuta, *Lutheranis* Ecclesia Catholica docet; hæc, *Tridentinum* (sess. 25.) repetit; hæc Orthodoxi omnes, tam Latini, quam Græci, protestamur; quin fictæ imaginationi *Iconomachorum*, velint finem facere *Lutherani*, quorum atramento, rudi ipsorum plebeculæ, renovetur *Idolum* irrogatæ nobis *Iconolatriæ*.

Hanc eapropter, ab *Apologistâ* renovatam, dele- 3.
turus, repetere teneor differentiam, inter *Idolum*, quod est similitudo, sed *falsa, rei quæ non est*; & *Sacram imaginem*, quæ est; *similitudo vera, rei quæ est.* Non istam stabiliam

(r) In Syn. Quinisexta. Can. 73. & 82.

biliam ex *Bellarmino Jesuitâ* (cui tamen Calvinistarum scriptor *Amesius* (s) differentiam hanc nequivit impugnare convictus) ut dicamus, nec idola imagines esse, nec è contra ; neque duas species sub genere similitudinis, quia ubi res non est, nec similitudo aliquid est. Diversitatem hanc Hæbreis *Propheta* tradidit, & Christianis renovavit *Apostolus*. Ille : (t) *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & IMAGINEM FALSAM? quia speravit in FIGMENTO FICTOR EJUS, ut faceret simulachra muta*, (idest, nîl significantia). Iste (u): *Scimus, quia nihil est idolum in mundo*. Eandem primis *Lutheranis* objecit, è Russià, *Petrus Mogilas*, in *Confessione Orientalis Ecclesiæ* (parte 3. qu. 55. pag. 326.) cujus verba ipse *Apologista* transscribit, (pag. 50.). Sic, falsa veneratos Gentiles respuimus, qui, etsi veros homines, & res alias adorarent, falsam tamen divinitatem, aut perfectionem, in figuris, aut Symbolis exprimebant. Sic Nos colendos depingimus sanctos, in quibus participatam bonitatem Divinam, (x) *Deumque in ipsis laudandum*, legimus; sic *Christum* Redemptorem, in quocumque nobis noto opere instruhentem: sic *Angelos*, sicut DEus præcepit, ad exteriorem fidelium cultum, formari in *propitiatorio* (Exodi. 25. 18. & 37. 7.), & insuper, modis quibus DEus ipsos remittit, ut (y) *volantes*, (z) *juvenes*, quorum quoque *festivæ vestes*, (ait (a) *Gregorius*) *splendorem nostræ, denuntiant*, & *Christi, solemnitatis*. Sic Deum ipsum, etsi perfectê incomprehensibilem & inexplicabilem, pingimus, eo modo, quo DEus ipse pluries apparens nos docuit ; satisfimusque similitudine illâ imperfectâ, quâ DEus est usus, cum *Adamo*, *Caino*, *Noë*, *Abraham*, *Moyse*, *&c.*:

(s) Erbermannus in vindiciis ad Bellarmi. lib. 2. cap. 5. controv. 4. (t) Habac. 2. 18. (u) 1. Cor. 8. 4. (x) Psal. 150. 1. (y Isa. 6. Apoc. 14. 6. (z) Mar. 16. 5. (a) S. Gregor. hom. 21, in Evang.

&c.: proſtramurque ante eum repreſentatum, ſicut, *Abraham* (b) *adoravit* pronus in terram; *Loth* (c) ante Angelos in humanâ formâ; in templis coram imaginibus, (d) ſicut Iſraëlitæ, ante *Arcam*, *Cherubinos*, *&c.* Sic & ſanctiſſimam *Triadem* in Linteo exprimimus, ſicut: (e) *in Convalle Mambre*, Abraham, in his, qui ſibi *apparuerunt tres Viri*, DEum ſingulariſſimum *adoravit*, & *dixit: Domine - - Patrem*, inquam, concipimus, & exprimimus (cum (f) *Auguſtino*) apud *Danielem*, (g) in throno ubi, *antiquus dierum ſedit: Spiritumque Sanctum*, (h) ſub *columbæ ſpecie*, & (i) *igneis linguis*, quomodo non ſemel eſt viſus: quia cuncta ſpiritualia, *anologicè*, ut dicimus, & imperfectè, ab ipſo Deo oſtenſa depingimus, & per ſimilitudines à nobis factas, finem, quem Deus habuit colendi ipſum ſic manifeſtatum, & in (k) *Sanctis mirabilem*, intendimus. Exulet igitur idololatriæ nomen, & pudeat Lutheranos eam nobis objicere, poſt tot noſtræ pietatis allatas Confeſſiones; recolantque cum primis *Iconomachis*, ſibi, jam ſæculo 8., datum ab œcumenicâ Nicænâ Synodo reſponſum; (l) ubi poſtquam faſſi ſunt Patres Divinam naturam perfectè inexprimibilem, minimè vetantes adducta Scripturarum ſacrarum ſymbola, concludunt: *non in materiâ, aut in coloribus honorem conſtituentes, ſed per hoc, officium noſtrum, quod ipſis, à Deo, quorum typum imagines geſtant, debemus, impartientes; cum ſciamus, juxta Baſilii M. ſententiam; quod, imagini honor exhibitus, ad ipſum prothotypum referatur.*

Nec originem *Iconomachiæ* audebo (cum *Bellarmino*, citato, cap. 5.,) ad Hebræos reducere, etſi in novo eorum *Thalmud*, ſæculo 5. invento, legatur, (Ord. 2. tract. 4.

 1. diſt.

(b) Gen. 18. 2. (c) Gen. 19. 1. (d) 2. Paralip. 7. 3. (e) Gen. 18. 1. 2. & 3. (f) Vide Auguſt. lib. 2. de Trin. cap. 11. pro totâ Trin. & cap. ult. pro *Patre*. (g) Dan. 7. 9. (h) Math. 3. (i) Act. 2. 3. (k) Pſal. 67. 36. (l) Act. 3. ap. Caranza fol. 246.

1. dist. 2.;), Christianorum Ecclesias esse idololatriæ domos; nam ob Christum adoratum hoc asserere perfidos illos, est citra dubium. Neque Hebræos crediderim jam sæculo 8. ità potentes apud Imperatores, ut eorum instantiis motus *Leo Isaurus*, imagines è Christianorum templis delendas decreverit (sicut ex *Cedreno*, *Zonarâ*, & aliis, tradit loco jam citato *Bellarminus*.) Ad veram itaque impiæ hujus Sectæ radicem inquirendam, quædam ex Historiâ Ecclesiasticâ referam; & Lutheranis, Lutheranos etiam testes producam.

5. Natum sæculo 7.; seductámqne maximam orbis partem per ejusdem deliria, tempore Imperantis *Heraclii*, *Mahumedem*, neminem latet. Hic, (m) ex Christianismo, Hæbraismo, & Gentilismo, jactatis revelationibus, *Alcoranum*, fabulis ineptiísque refertum, edidit: interque istas, docuit (cap. 15. & 17..) DEum solum, rejectis omnibus imaginibus, esse colendum & adorandum: Cujus tamen, eôdem sæculo, sequutum interpretem (n) *Hali*, amplexati sunt *Persæ*, etsi Mahumetistæ, recipientes in eorumdem templis imagines; ob quod, à Saracenis odio inexplebili habentur. Eodem sæculo damnatis *Monothelitis*, in Synodo œcumenica 6., (quorum Sectatores, (o) *Heraclius* & *Constans* 2., Imperialibus decretis, errorem radicaverant; primus, illum stabiliens decreto, quod vocavit *Ectesim*; secundus, ipsum impugnare prohibens:) successit Annô 711., *Philippicus Bardanes*, qui (ô Lutherani, ultra Catholicos Scriptores, vestrum (p) *Kromaierum*, vel delete vel audite) *inter Iconomachos PRIMUS delevit imagines, & è templis ejecit.--- Concilii sexti œcumenici decreta impugnavit; & Monothelitarum Patrocinium suscepit. Verum* post *vix biennium* (in Imperio) *conjectus fuit in car-*

(m) Pfafius Sæc. 7. cap. 6. §. 1. pag. 153. (n) Kromaierus Centur. 7. §. de statu Eccl. pag. 344. (o) Vid. ultra Annatum lib. 5. art. 7. Pfafium cit. cap. 4. §. 3. (p) Cent. 8. initio.

carcerem, *& propter incommoda plurima, quibus REMPUBLICAM & ECCLESIAM AFFLIXERAT, exclusis oculis in exilium pulsus.* Solas, item, imagines *Patrum qui Consiliis œcumenicis prioribus interfuerant*, odio in illos, qui, in sexto, *Monothelitas* damnaverant, ejecisse *Philippicum*, scribit (q) *Psafius*; fatetur tamen, eapropter à Papâ *Constantino* damnatum; sicut postea à successoribus, *Gregoriis*, 2. & 3., *Zachariâ*, & aliis, cum Græcis Orthodoxis clamantibus *Germano* Constantinopolitano, *Georgio* Cyprio, & *Joanne* Damasceno, damnatos legimus *Leonem Isaurum*, & *Constantinum Copronimum.* Hinc conjicere licet, unde *Iconomachia* pullulaverit: quamvis enim tribus primis Ecclesiæ Christianæ sæculis daremus nullum fuisse in Templis usum imaginum, (cujus contrarium demonstrabimus,) fatente tamen *Apologistâ*, (pag. 61. & 68.;) à sæculo 4., templis eas illatas (etsi adoratas in cassum negare, videbimus); mirum esset, quod tribus sæculis integris, nec Synodus aliqua, nec Patres, *idololatriam* nobis objecerint; usque dum, ad *Mahumedis* exemplum, *PRIMUS* (ut Lutherani fatentur) *inter Iconomachos delevit imagines, & è templis ejecit, Philippicus*; quem imitati sunt, sæculo octavo, alii *Iconomachi*, post Synodum tamen Nicænam 2. ità quieverint, ut usque ad *Lutheri* tempora, adoratarum imaginum sacrarum usus accreverit, postque ipsum, constanter à Græcis & Latinis, etiam inter Turcas, dogma servatum Orthodoxorum permanserit. Fateantur *Iconomachi*, etiam inviti, *Mahumedanum* se sequutos exemplum, quod introduxit *Philippici Monotheliticum* odium; & contra pietatem Catholicam toties sibi explicatam, desinant idolum fingere, juxta adductum *Hieronymum*, aut idololatriam & cultum oblatrare Gentilicum.

(q) Sæc. 8. cap. 3. §. 2. pag. 161.

6. Miserum subinde corruit, *Apologistæ* allatum (pag. 49.) effugium; quo, inter *Calvinistas* exiliantes à Templis, & *Catholicos* adorantes in ipsis imagines, putat, se medium invenisse; quo in templis permittantur, adorari verò, aut cultu religioso prossequi, illicitum ducat. Falsam, inde infert à *Javorskio* irrogatam Calumniam, dum scripsit: *Verba Dei: nè facias tibi imaginem, aut ullam similitudinem; ipsi Luthero, lapis offensionis fuerunt. Inde rejecit sacras imagines ex sancta Ecclesia.* Putavit materialissimus vir iste ità obtusum *Javorskii* calamum, sicut ipse ostendit hîc proprium? Aut æquê hebescentia Lectururum Catholicorum ingenia, sicut similibus argutiolis fit plebecula Lutherana? Sciant igitur, hi, quibus scribit *Apologista*, vidisse, ante me, *Javorskium*, præter scripta hæc, plura Lutheranorum templa, in quibus (etiam *Moskuæ*, tam in veteri, quam novâ, ut vocant, Lutheranorum Ecclesiâ) sacræ imagines inspiciuntur quam plurimæ. Scribens ergò, *Lutherum* in Verbi DEI lapidem impegisse, *ut sacras imagines rejiceret ab Ecclesiâ sanctâ*, non de ejectione materiali, sed de sacrâ veneratione eis debitâ intellexit: sic populus *Regem* petens, dicitur (r) *abjecisse Dominum*, sibíque, quia Dei providentiæ non meminisset, ducentis Israëlem ex Ægypto, dixit *Samuel*: (s) *vos projecistis hodie Deum vestrum*: satis enim ille abjicitur, cui honor debitus denegatur.

7. Fatendum est, graviùs peccare *Calvinistas*, qui sacras imagines contriverunt; sed æque Lutherani, eas dicteriis inhonorant; nec enim graviùs, meo videri, est imaginem delere *JESU Christi*, in quâ, Verum DEum adoramus in signo; ac eam *Idolum* dicere, quod nunquam aliud significavit, quam *fictam* representatam *Divinitatem*; nec verè liceret conservare, si Idola essent, in locis

(r) 1. Reg. 8. 7. (s) 1. Reg. 10. 19.

cis ſacris : ſicut legimus in Eccleſiâ : (t) *quod ſanctus Bonifacius Papa Quartus, à Phocâ Cæſare impetraverit donari Eccleſiæ, Templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon vocabatur. In hoc, igitur, ELIMINATA OMNI SPURCITIA* (ideſt, Gentilium Idolis) *fecit Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis, atque omnium Martyrum, ut, EXCLUSA MULTITUDINE DÆMONUM, plebs univerſa; ad Eccleſiam, in honorem Omnium Sanctorum conſecratam, conveniret.* Sanéque; ſicut legens *Lutherus;* (u) *non adorabis ea, neque coles;* in ſculptili, & ſimilitudine, de quibus loquebatur Deus, intellexit ſacras imagines, etiam *JESU Chriſti*, nè ſibi in eis daretur cultus, quem exhibitum Lutherani vociferant ſuperſtitioſum, & idololatricum (ut A*pologiſta* pag. 49. 51. &c..); Ità *Calvinus* legens antea : *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem;* intellexit, neutiquam in ſacris ædibus conſervandas. Ex Grammaticali quoque cortice litteræ, inferre potuerat uterque; nedum *adorationem, cultum*, & *conſervationem*, ſed etiam *formationem* interdici imaginum, quam nemo damnavit húcuſque, ſicut cuncti damnamus (cum S. Th. 2. 2æ. qu. 169. art. 2. ad 4.) fabricare Idola, imò & infidelibus ea vendere, quos ſcimus ea adoraturos, nè idololatriæ *per ſe* ſequendæ concurramus. Mirorque, *Lutheranos* non aſſerere, DEum, cum præcepit : (x) *Non facietis vobis ſculptile*, (addiditque) *nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terrâ veſtrâ, ut adoretis eum;* reprobaſſe religioſum opus *Jacob*, qui in monumentum promiſſionis ſibi factæ, & in ſignum, quod (y) *vere eſſet Dominus in loco illo (Bethel) -- Surgens, tulit lapidem, & erexit in titulum; fundens* (exteriori utique cultu) *oleum deſuper:* in quo, Deo ſibi repreſentato, *votum vovit, offerre deci-*

P 3 *mas*

(t) Breviar. Ord. Præd. in Officio Omnium SS. (u) Exodi 20. 4. & 5.
(x) Levit. 26. 1. (y) Gen. 28. 16. ſequ.

mas omnium, quæ DEus esset *sibi daturus;* tantum autem abest, nè DEus id male tulerit, ut legamus, (z) DEum ipsum, Jacob pietatem laudantem, novaque beneficia pro eo retribuentem: quem tamen audimus, ingressuris Judæis in terram *Chanaan*, præcepisse: (a) *confringite titulos, & statuas comminuite* -- (b) cæterísque gentilium regnis occupandis: *aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite;* quod sæpissime (c) repetit. Quâdam ergo distinctione à DEO Ipso instruhimur, ut cavendâ idololatriâ, statuas confringamus Gentilicas; in signis tamen exterioribus, DEum pro beneficiis nobis exhibitis recolentes, ipsum ejusdemque sanctos adoremus (modo infra explicando.) *Verbóque Dei*, patebit; num istud, potiùs *Luthero* fuerit *lapis offensionis*, quo, *sacras imagines* (à cultu signi & respectivo) *rejiciens*, in sacrilegium rueret, (ut justissimè dixit *Javorskius;* quam nobis, (sicut *Apologista* objurgat) ut *præcipiti lapsu, in superstitionem, & idololatriam* incidisse censeamur.

8. Quia ergo, *Apologistæ*, (sicut caterorum Lutheranorum) opuscula, in Religiosum Orthodoxorum cultum, pluribus erroribus scatent, quam lineis, suo ordine hujus ineptias percurramus - - *Græcæ non minûs, quam Latinæ Ecclesiæ* (prossequitur eádem pag. 49.) *superstitione & idololatrià* suppositâ; *tolerabilior est, in quibusdam, illius, quam hujus sententia.* Primam, ecce, rationem quam assignat. - - *Græcos, nimirum* (ait) *imagines non sculptas, utpotê, quas tanquam idola fugiunt, sed pictas tantummodo habere, constat.* Acutissimê nonne Lutheranorum Theologi! Ecquis, nisi Lutheranus ineptiens *tolerabiliorem* diceret *idololatriam* (quam, etsi falsô, supponit)

(z) Gen. 31. 13. (a) Num. 33. 52. (b) Deuter. 7. 5. (c) Deuter. 12. 2. - 16. 22. & alibi.

nit) in simulachro *picto*, quam *sculpto*? Scio, ferê omnes ejusdem sectæ scriptores de rebus *Russiæ*, hujus erroris taxare *Ruthenos*; addidit Apologista, cunctos comprehendere Grecos. Est nê idem, imagines (Si daremus) habuisse pictas, ac damnasse sculptas? Quis non rideat? Si *Confessionis Ecclesiæ Orientalis*, quest. 55. *Apologista* legisset integram, invenisset (pag. 328) *Quemadmodum enim, cherubim, qui tabernaculum fœderis inumbrarunt, genuinos ipsos cherubim, qui in Cœlo Deo apparent, repræsentabant, & adumbratos tamen illos ADORABANT Israelitæ, & venerabantur - - eodem modo, cum Judæi tabernaculum fœderis venerabantur, convenientique honoris cultu excipiebant* (2. Samuel. 6.) *eo nil peccabant, neque hoc Decalogi præceptum irritum faciebant, quin potius eximiâ Deum gloriâ honorabant. Pari ratione, nos etiam sacras imagines venerantes &c.* Itàque, non *pictos* Cherubim ibi præcepto DEI appositos, meminisset, sed (d) *duos Cherubim aureos, & PRODUCTILES - - utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes tabernaculum:* Unde, Græcos, imagines scupltas, *tanquam idola* fugere, non delirasset. Quid enim quod, rusticis credituris, Patriarcham Alexandrinum *Metrophanem Critopulum* adducat Apologista sic sentientem? Hic, juxta sapientissimum Græcum (e) *Nicolaum Comnenum Papadopoli*), istud, sicut alia *axiomata*, *ab amicis & hospitibus suis Lutheranis didicit:* quique (asserens, *in Antipanopliâ* cap. de *confessione mysticâ: cum peccato deleri & pœnam peccati*, ut pœnas pro illo à justis luendas post mortem, neget); (f) *impudentior in Antipanopliâ & in Epistolis, quibus, blanditurus amicis suis hæreticis, nisus est, hæresum Arctoarum coloniam in Græciam deducere.* Idem (g), *elapso sæcu-*

(d) Exod. 25. 18. (e) Nicol. Comn. resp. 1. Misstag. Sect. 8. n. 10. pag. 50. Col. 1. (f) Ibid. n. 2. (g) Idem Comn. resp. 3. Sect. 6. n. 4. pag. 184.

sæculo, nundinatus longà pregrinatione (in Germaniam) *pestilentissima dogmata penes Lutheranos, queis mox Alexandrinas infulas mercaretur; in senectute perfidiosà, apud ignorantem plebeculam potens, ausus est, Stoicam Sectam Christianis ingerere, pariaque peccata omnia, superciliosâ temeritate docere.* Sic scribit (orat. in eos qui omnia innovant) (h): *æquê delinquit qui minima despicit, & qui maxima: Quid nova vocabula, nobis, peccatorum, ingeris, dicens, QUÆDAM LETHALIA, QUÆDAM VENIALIA? simpliciter omnia mortem animæ inferunt &c.* Sunt nê verba hæc ipsissima *Lutheranis*, & *Calvinistis* communia? Etiam ad usuram, horum accepit doctrinam, cum isti graviora peccata concedant; *Chritopulus*, *æquê peccare* dicat, *qui minima despicit*, & *qui maxima:* cujus oppositum, præter mille Græcos authores (quibus *Comnenus* utitur) ex ipsâ *Ecclesiæ Orientalis Confessione*, Orthodoxê creditum habetur; quæ, (i) *diviso peccato in mortale, & non mortale*; ait (k): *peccatum non ad mortem, QUOD ET VENIALE aliis quibusdam nominatur, illud est; quod - - non adimit gratiam Dei, nec morti æternæ reos addicit &c.* Quidni idem *Chritopulus*, imagines cunctas damnare in Græciâ incapax, Lutheranis blanditum dicamus, sculptas, *idola* dicentem, ut impostor *Apologista*, contra Græcos, illius adduceret testimonium? Quod, ut, nedum in doctrinâ, sed in facto quoque videatur falsissimum; legatur primô *Confessio Orientalis Ecclesiæ*, Quam totam qui percurrerit, nec minimum hujus erroris fundamentum inveniet: Secundô; in Confessione quam Magnus CZAR *Joañes Basilidis*, Lutheranis noviter ortis objecit, legitur: (l) *divinis imaginibus; Jesu, Domini & servatoris nostri - - purissimæ Genitricis ejus - - quæ est mediatrix salutis hominum,*

(h) Ap. Comnen. ibid. n. 3. (i) Part. 3. qu. 17. pag. 278. (k) Qu. 63. pag. 304. (l) Basilides resp. ad Confess. Rohitæ. cap. 13.

num, ac per eam placatus est nobis Deus - - potestatum cælestium, Sanctorumque omnium; qui, *saluti nostræ opitulantur* (sive pictæ, sive sculptæ sint) cultus præstandus asseritur. Tertiô, testes adduco quotquot Ruthenorum Ecclesias frequentaverint, qui, etsi hæresi obcœcati, imagines sculptas *Jesu Christi*, ibidem se vidisse dicent, nedum super altare in sacrificii loco; sed extra ad populum ostensas; in Ecclesiæ *Uspenie* (idest, Assumptionis B. V.) Moskuæ, supra omnes picturas, portæ sanctuarii eminet talis, ut magnitudinem viri cujuslibet æquet. Quartô, legant Lutherani laudatum ab ipsis D. de *Meiersberg*. Legatum *Leopoldi Cæsaris*, ad Czarem *Alexium Michaelovitz*, Serenissimæ nunc imperantis *Annæ* Avum (Anno 1661.) qui etsi à *Gallis*, imò & *Germanis* ipsis, & (m) Lutheranis, censeatur *nimis in Moskovitas injurius; hæc scribit*: (n) Sculptas imagines, *præterquam in Ecclesiæ altari, Moskovitæ respuunt:* sentit igitur, jam suo tempore, licet maledicus, eas in altari habitas, & adoratas. Etsi ergo, antiquitus, non in usu communi essent, minimê detestandas sculptas imagines apud Græcos fuisse, sed æquê adoratas, ac pictas, ex dicendis patebit ampliùs.

Secundam *tolerabilioris, Græcorum*, præ latinis, *sen-* 9.
tentiæ, causam, in Theodelirante *Apologista* (pag. 50.) Legamus: *licet Christi, & Sanctorum, Angelorumque, prout in humanâ formâ apparuerunt, imagines, in pretio* (Græci) *habeant, ipsius tamen Dei, apud ipsos imaginem non reperias; utpotê, quem ceu spiritum infinitum, effigie quâdam, aut coloribus pingi posse negant: imò, sine crimine, id fieri non posse, asserunt.* Contra mendacium, hic, quo-

Q

(m) Vide Gudmund. Krook. de Stat. Eccl. & relig. Moskov. Sec. 1. cap. 1. §. 9. pag. 9. (n) Meiersberg. itinerar. pag. 27. in versione Italica Neapoli 1697. pag. 86.

quoque, prædictos occulares, mecum proffero testes, qui Ecclesias *Sanctissimæ Triadi* dicatas visitaverint. In istis & aliis, *Trinitatem*, tum in tribus *Abrahæ* apparentibus viris, tum in antiquo viro Filium Christum in sinu habente, supraque volitante columbâ, expressam viderunt: in supramemoratâ *Uspenie*, unà ex pulchrioribus Moskuæ, ad pedes sculptæ Crucifixi imaginis, formosissima offertur major depicta tabula, Patrem æternum cum Filio, simul, adextris, B. Virginem coronantes, suprapictâ columbâ, spiritus Sancti typo, ostendens: imò generalissimum fuit, supra Ruthenorum templorum sanctuarii altaria, pendere sculptam columbam in Spiritus Sancti typum, in cujus vacuo sinu, venerabile Eucharistiæ Sacramentum asservatur. Contra errorem, verô; quòd, *sine crimine hoc fieri nequeat*, quis negavit, nedum decipi, sed stupidum esse eum, qui, Deum in similitudine creatâ *perfecte* vellet exprimere? Nec Deum posse finitam speciem impressam creare, ipsum intellectibus Beatorum repræsentantem perfectê & clarê, docet (o) sanior Theologia; sed ut clarê percipiatur, ipse, sine specie distrinctâ fit eorum mentibus præsens: Quomodo ergo Deum exterius figurabimus? aut; (p) *cui similem fecimus Deum? aut quam imaginem ponemus ei?* Perfectam, quam Deus ipse non fecit, externam, impossibilem supposuit (q) sacra Synodus 7. quam sequimur, instructi, quod (r) *Deum nemo vidit unquam*: imperfectam tamen, quomodo *Deum apparuisse* Prophetis & Patribus, notumque ab ipsis sub exteriori figurâ legimus totiês; nec Synodus interdicit, nec exemplo Dei contrariam credimus, ut ex sacrâ historiâ depingamus. Ne autem *Lutherani* ampliùs id nobis objiciant, non ad ipsorum primos Theologos, hoc idem

(o) Thomistæ omnes Tract. de visione Dei. (p) Isa. 40. 18. (q) Act. 6. Tom. 4. ap. *Caranza* fol. 251. (r) Joan. 1. 18.

idem docentes (ut poſt primum , ſecundum *Chemnitium.* loc. de lege ſub Decalogo. Controv. 3. in adnot. ad catech. Dieter pag. 646.) ſed ad Catecheſim ipſorum illuſtratiorem (quam , ut video , *Apologiſta* ignoravit) eos advoco (s) *licet nê (* interrogat*) imaginem Dei Patris, & Filij , & Spiritus Sancti, depingere ? Deus (* reſpondet*) in eſſentiâ , & naturâ ſuâ , quiâ Spiritus inviſibilis & infinitus eſt , effingi , aut depingi , nec debet , nec poteſt. Quia verô Deus Pater ANTIQUI DIERUM IMAGINE (* Danielis 7. 9.*) itemque , VIRI INSIDENTIS SOLIO (* Iſa. 6. 1.*) ſe manifeſtavit ; Spiritus. S. , verô , in ſpecie columbæ apparuit (* Matth. 3. 16. *) ſine impietate ullâ tales æpparitiones depingere licebit.* En Quomodo, *tolerabilioris* , Græcorum , quam Latinorum, *Theologiæ* , Apologiſtæ Lutherani judicium ferent , qui propriam *Catecheſim* ignorant.

Tertiam , quam , ad idem , rationem dedit , ſtupidiûs 10.
ipſe *Apologiſta* revocavit ; dum *(* pag. 50. *)* minûs Latinis deficere Græcos , probat, quia *cultum quem Duliam vocant , imaginibus tantum deferendum docent , neutiquam autem , eum qui LATRIA adpellitatur , quive ſoli tantum debetur Deo* : Sui tamen oblitus *(* pag. 53.*)* ſcribit : *Patrumque fœliciter , per diſtinctionem inter DULIAM ET LATRIAM , IN ROMANÆ quoque Eccleſiæ Scholis ſatis frequentatam , hinc* (ideſt ab idololatriâ) *ſe expedire adnituntur.* Si enim , etiam terminis ipſis Græcis utimur Romani , *Latriæ* & *Duliæ*, ad diſtinguendam adorationem ſoli Deo , ſanctíſque præſtandam ; *intolerabilior* fit *Apologiſtæ* oppoſitio , quam ſuperſtitio Latinorum , præ Grecis ; ex quorum unanimi , etiam in vocibus , conſenſu , *tolerabiliorem*, in Græcis , ipſam Latinorum *ſententiam* infert. *Duliam* & *Latriam* directê non diſtinguimus objectis

(s) Cunradi Dieterici. inſtitut. Catechet. è Lutheri catecheſi depromptæ. de Decalogo. inſt. 42. pag. 73.

jectis & imaginibus, sed Deo & sanctis: id autem *Apologista* confudit, quia neque quod Græci, neque quod Latini dicimus, capit. *Latria*, & *Dulia*, distribuntur objectis; & propter ista, pariter diversificantur in signis. In objectis est excellentia, suprema in Deo, cui per *Latriam* subijcimur; & participata in sanctis, quibus religiosê submittimur, per *Duliam*. Inter hos, & eorum signa, discrimen est aliud; quod signis, secundariô, non propter se, sed *propter prototypos*, adorationem damus, (ut ex Nicæna Synodo. 2. (Act. 3.) jam diximus) Et in *Tridentinâ* (Sess. 25.) clarius explicatur, cautiúsque prævenit Confessio Orientalis Ecclesiæ (qu. 55. cit. in fine) dicens: *illud modo curandum nobis, ut cuique imagini sua addita sit inscriptio, quæ, cujus sancti imago sit, indicet; ut eo faciliùs intentioni animoque adorantis satisfieri possit;* sicut de facto fit in Russiâ, tum in Ecclesiis, tum in privatis domibus. Eundem ergo cultum, etsi diversimodê, præstamus imagini, ac objecto quod recolit; sed illi transitivê, & propter istud; strictiúsque loquendo, nec *Latria* datur imagini Christi, nec *Dulia* sacris Sanctorum: voces hæ siquidem, sonant interiorem submissionem erga eum qui adoratur, quam nunquam imaginibus, sed prototypis deferimus: Improprie autem & respectivê, sive *Latriam*, sive *Duliam*, imagini præstamus, quatenus exteriûs signum exhibemus submissionis internæ, quâ Deum & Sanctos adoramus: itaut imagini Christi, ut signo, major adoratio (*Latriæ* scilicet) impertiatur quam cuilibet Sanctorum, qui ob excellentiam propriam adorabiles, etsi ad imaginem sint Dei, sola *Duliâ* colendi sunt, ut advertit. S. Thomas 2. 2. qu. 103. art. 3. ad 3. & 3. p. qu. 25. art. 3. quia idem est motus ad imaginem, & in rem imaginatam. Hoc docent Catholici, sivè Latini sint, sive

Græ-

Græci. Hoc docuit *Javorskius*. Hocque neganti *Luthero*, *verbum Dei lapis fuit offensionis*.

Idem sensit jam ipse *Apologista*, qui (ne aliâ quo- 11.
que culpâ vacaret) sanctos quoscumque adorandos negavit, ut imaginibus redditum cultum, *idololatriam* repeteret. Quod ut suadeat, plus superbiæ, quam perspicaciæ ostentat. En ejusdem verba (pag. 52.): *adorandos tamen, colendosque esse* (Sanctos) *eo magis abnuimus, quominûs, ipsi, probaturi essent, si nobis suam declarare possent sententiam:* (Sanctorum animum, etiam non loquentium, comprehendisse se jactat; & prossequitur) *cumque, quod rerum nostrarum conscii sint* (Sancti) *aut preces nostras, votaque audiant, atque cognoscant, probari nequeat; nonne vanus est, omnis ille cultus, irritusque?* &c. Jam Orthodoxos percepisse hic exprimit, quod imagines ob prototypos adoremus; sed in novam labitur hæresim, & detestabilem arrogantiam. Quid Sancti de nobis eos adorantibus sentiant, dicit inflatus iste homo, se noscere; negans, Sanctos *nostrarum rerum esse Conscios, precesque nostras & vota audire, aut cognoscere.* Plus blasphemaverat *Calvinus*, scribens. (t) *Quis, eôusque longas, sanctis, esse aures revelavit, quæ ad nostras voces porrigantur?* - Imò & *Lutherus*, dicens: (u) *pro meritis S. Petri, ne unum quidem obolum darem ut me adjuvarent, quia seipsum juvare non potest:* Sed Apologista plus superbit, dum, Sanctos è cœlo nos audire æque negans, ipse, è terrâ, sanctos se comprehendere jactat.

Si his opponerem *S. Thomam* (2. 2. qu. 83. art. 4. 12.
& 3. p. qu. 10. art. 10.) docentem, sanctos è cœlo, vel in Divinâ essentiâ clarê visâ, vel speciali sibi à Deo factâ revelatione, preces & vota nostra percipere; altiorem, sibique insipidam proponerem Theologiam; quam, ut solent

(t) Calvinus. institut. lib. 3. cap. 20. §. 24. (u) Luther. in art. 4. qu. 6.

solent, nê ludibrio vocent *Thomisticam*, eam legant cap. 13. decretorum fidei, in Consilio *Senonensi*; ubi damnandis hæreticis, sanctos orationes nostras capere negantibus, dicitur: *quam id falsum sit, eum facilè intellecturum, qui non ignorat, sanctis pervium esse Omniforme Divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, illucescat*. Clariùsque *in Divinâ sapientiâ*, seu in verbo, quam in terris cognoverint, *sine verbis sonantibus*, pluraque à Beatis percipi, docuerat *Augustinus*. lib. 11. de civ. Dei. cap. 7. & 29. Si *Hyeronimum* adduco asserentem; (x) *Vigilantium*, ob similem *Lutheri* Doctrinæ, de barathro sui pectoris, *Cœnosam evomuisse spurcitiem*; acrem sed justam audirent censuram. Si *Augustinum* repeto, jam (y) contra *Faustum Manicheum*; noscent unde ducant Originem. Si *Litanias*; si *Lithurgias Basilii* & *Chrysostomi* recolo; dicent, totam Ecclesiam per 14. sæcula clamasse in vanum. Si memoremus hæreticis (z) *Ambrosium* (a) *Augustinum* & alios; nec verentur in omnes sæculi 4. SS. PP. nævum superstitionis impingere. Si *Cyprianum* (b) rogantem Papam *Cornelium*, ut quem contigerit primum Deo frui, post mortem, pro alio, *pro fratribus & sororibus* (hic manentibus) *non cessare ab oratione ad Deum* flagitet: Si eundem (c) hoc ipsum à cœteris fidelibus expetentem: Si *Origenem*, (d) cum, nec dubitandum asseruit, orationibus nos juvare sanctos antiquiores, opponamus: forsân corrupta, sæculorum 2. & 3. monumenta audiemus. Si Pontificem Romanum *Felicem 1.* dicamus, ordinasse, (e) celebrandas Missas *super sepulchra Martyrum*, aut ubi ista non essent, poni sub altari eorum reliquias (anno 272.) quod (notat *Caranza*) *destruxisse Lutheranos* ip-

(x) Cap. 3. advers. *vigilantium*. (y) Aug. lib. 20. c. 4. 15. (z) Orat. de præparat. Sacerdotis ad Missam. (a) Lib. meditat. cap. 40. (b) Epist. 57. (c) Idem Cyprian. Lib. de laude Martyr. ad Moysen & Maximum, &c. num. 68. & 88. (d) Origen. hom. 23. in Numer. (e) *Caranza*. fol. 20. & *Burius* pag. 39.

ipsius tempore: Si Pium *1.* (anno circiter 160.) addamus, (f) *Novati Thermas, in Templum S. Potentianæ dedicasse:* Domum scilicet *Pudentis* Senatoris, Sanctarum *Pudentianæ* & *Praxedis* Patris, in quâ *Petrus* Apostolus Romam ingressus hospitio receptus fuerat; nec Romano Martyrologio fidem dabunt hæretici, ubi (die 26. Julii) de ejusdem Pontificis Fratre legimus: *Romæ, Sancti Pastoris Præsbiteri, cujus nomine titulus extat in Viminali apud S. Pudentianam.* Si *Novatoribus* istis negantibus fuisse sub Imperatoribus Ethnicis, ante *Constantinum Magnum*, certa Templa vel Locum determinatum, quô, ad Sacra, Christiani convenirent; adjungimus, *Evaristum* & *Anacletum*, ex Græcis, Romanos Pontifices immediatos ad Sanctum *Clementem*, Apostolis ferê coetaneos, de sacris locis decrevisse; (g) *Anacletum*, præcipiendo in illis celebrari; *Evaristum*, distribuendo Præsbiteris & Diaconis determinatis domos Divino cultui mancipatas: Si tandem erectam in Hispaniâ, *Cæsaraugustæ*, per *Jacobum Majorem* Apostolum, servatam adhûc, in Columnæ æquê marmoreæ summitate, Beatissimæ Virginis, usque adeô, è toto ferê terrarum orbe peregrinis confluentibus, cultam imaginem; ex traditione totius Hispaniæ, *Barchionensique* (h) Annalistâ *Flavio Lucio Dextro* (cujus, ejusdemque Patris *S. Patiani* meminit *S. Hyeronimus*; in sibi dicato libro de scriptoribus Ecclesiasticis) reproducimus: nec antiquissima monumenta, nec Canonica (i) Ecclesiæ jura, dicent, Lutheranis novi-sciolis præponenda. Quô ergo me vertam, ut homines, cuncta præter se spernentes convincam? Dum suæ sectæ authorem, in hoc pariter à me citô producendum spectant (siquidem ut in Sanctorum memo-

(f) Iidem Authores ad Pium I. (g) Iidem Authores, & alii. (h) Chronicon Flav. ad An. Chr. 38. (i) de consecratione dis. 1. cap. *Episcopus Deo.* ex Epist. 1. *Anacleti.*

memoriam, *titulos* ſeu Eccleſias dicatas negent, *Lutherani*, nullas ante *Conſtantinum M.* fuiſſe, dicunt) explicatum mihi vellem loquendi modum (in Actis *S. Silveſtri* (k) expreſſum) ſub *Conſtantino M.* fide jam publicâ: *TEMPLA CLAUDANTUR, ET ECCLESIÆ PATEANT*; niſi ſupponantur enim Chriſtianorum, vocatæ, *Eccleſiæ* (ſicut gentilium, *Templa*) etſi occultæ, ubi perſecutio aliter non permitteret, potiûs dicendum erat, *erigantur*, *ſacrentur*, quam *PATEANT*, quæ ſupponuntur occultæ: Nec minus dicam, Chriſtianos ante *Conſtantinum* fervidos; ad pro domo Chriſti ſubeundum Martyrium; quam pro liberandis à Tyrannorum manibus Eccleſiæ theſauris, ob quæ (l) pauperibus erogata, per eorumque manus ad cœleſtes theſauros præmiſſa, vivicomburio aſſatus, Chriſti Hoſtia fuit, *Xiſti Secundi* Diaconus, noſter Hiſpanus *Laurentius*. Sicut, itaque, primi Chriſtiani, collectos ex devotione fidelium Eccleſiæ theſauros occulte ſervabant, ab Apoſtolorum (m) tempore, per miniſtros Diaconos, ad Eccleſiæ, & pauperum uſus; ità occulta habebant loca, Deo, & in Sanctorum honorem dedicata, ubi ad ſacra conveniebant; quomodo *Pium I.* legimus *S. Pudentianæ* dicaſſe Eccleſiam, anterioréſque Pontifices, ad ſacra, elegiſſe ſepulchra Martyrum & Sanctorum; tum ad ipſorum cultum, tum ad eorundem circa nos Patrocinium implorandum: jamque ſæculo 2. *Angelorum* aureas imagines, ad Laudem DEI & Gloriam habitas, teſtatur *Patriarcha Methodius* (orat. 2. de Reſurrectione.)

Jámque, ad hunc à primitivâ Eccleſiâ probandum præſtitum cultum in imagines & ſanctos, iſtorúmque creditam, & invocatam interceſſionem, Lutheranis *Luthera-*

(k) Apud *Burium* in vita *Cleti* Pontif. pag. 5. (l) Eccl. in Offic. 10. Aug.
(m) Act. 6. & alibi.

theranum producamus Authorem. Et quidem (cum *in fine quarti sæculi*, jam fateatur *Apologista* (pag. 54.) *in templis toleratas imagines*, non tamen antea) *tam ratum firmumque*, dicit, *& extra omnem dubitationem positum manere, donec qui dissentiunt, vel unico EXEMPLO, vel unico TESTIMONIO FIDE DIGNO, secùs se rem habere, demonstraverint*: Nec dubito, inter alios, hoc ipsum legisse apud sibi & Lutheranis cunctis *FIDEDIGNUM PFAFIUM*, scribentem: (n) *sæculum hoc* (quartum) *multis jam superstitionibus fuit maculatum* (inter quas) *reliquiarum venerationem hoc ævo cœptam* - - *peregrinationes religiosas ad sepulchra Martyrum*: - *Invocationem Sanctorum. Cœptus quoque hoc sæculo sub finem fuit Imaginum usus, Crucisque veneratio.* Est ne (Lutherani Theologi!) *fidedignum* hocce *testimonium*? Audivimus, pro vobis, raucisonum hunc *Tubingensis* vestræ *Academiæ* calamum: audite eundem, & vos, pro nobis, aliter antea (sæculis tertio & secundo) usque ad vestrum fastidium personantem (o) *De cultu religioso, Angelis, sanctis, imaginibus, reliquiis, Cruci, Eucharistiæ, præstito, silent omnia hujus ævi* (sæculi 3.) *monumenta* (quæ non potest afferre negantia) *etsi memoriæ Martyrum, & Sanctorum annuæ, & oblationes pro Martyribus, jam celebrarentur; CREDERETURQUE ILLORUM PRO VIVIS INTERCESSIO.* Item (p) *Ritus Ecclesiastici, hoc sæculo, mirum, quantum aucti fuere. Inveniuntur hic jam ALTARIA* - - *certæ domus congregationibus sacris destinatæ, Græcê, Kiriaka, ubi nempe ob persecutiones fieri poterat, ut Christiani, certis in ædibus convenirent.* Insuper: (q) *queis ritibus, addimus, sæculo SECUNDO JAM NATOS, DIES FESTOS, Dominicam, Pascha, Penthecosten, DIESQUE MARTYRUM*

R

(n) Pfafius sæculo. 4. cap. 3. §. 9. pag. 77. & 78. (o) Pfafius sæculo 3. cap. 2. §. 2. pag. 48. (p) Ibid. §. 3. (q) Ibid. §. 4. pag. 50.

RUM ANNIVERSARIOS. Seculo quoque ſæcundo dixerat (r): *Loca conventus Chriſtianorum, non fuere templa, qualia tunc nondum extabant, ſed Domus privatæ, cœnacula, balnea, porticus, CHRIPTÆ denique & COEMETERIA MARTYRUM* (Si hæc fateamur, ſepulchra Martyrum habebantur ad cultum) *In conventibus* (proſſequitur) *vero hiſce peragebantur - - ſeptimô, commemorationes MARTYRUM.* (ſubticuit, *religioſæ*) Rurſus: (s) *Feſta hujus ſæculi 2. fuere, dies Dominicus, Paſcha, Penthecoſtes: QUEIS & ADDI POSSUNT ANNUÆ MARTYRUM COMMEMORATIONES. CRUCIS SIGNUM, jam hoc obtinuiſſe tempore, nemo facilê negabit.* Eſt nê *Martyres & Sanctos* colere; *oblationes* pro eis, & *memorias celebrare, credentes, eorum interceſſionem pro vivis?* Hoc ſi negant *Lutherani* ex (ſæculi quarti) ſcriptoribus, *Athanaſio*, (t) invocante Mariam Virginem; *Gregorio Nazianzeno*, (u) orante *S. Athanaſium*; *Hyeronimo*, (x) rogante ad *S. Paulam;* & aliis: ſuum conſulant *Pfaſium*, quem ſic ſæculo 2. & 3. ſcribentem, pro inventis in fine ſæculi 4. imaginibus, dicent *FIDEDIGNUM. Certæ*, item, *domus deſtinatæ ſacris* agendis; ſeu *Kiriaka*, aut Latinê *DOMINICÆ*, nonne erunt Eccleſiæ? *Altaria* inſuper erecta; *DIES FESTOS, ANNIVERSARIIS MARTIRUM dicatos;* in his, ſacræ *commerationes* ipſorum; in uſuque *Crucis ſignum*, dubium relinquent, *Sanctorum, reliquiarum, imaginisque crucis Chriſti* adhûc non inventæ, cultum Religioſum? Si *Academia Jenenſis*, pro tuendo ſuo *Apologiſtâ Buddeo*, *Pfaſium non fidedignum* pronuntiet; *Tubingenſis*, hunc ejusdem *Cancellarium* ſuſtinebit;

(r) Idem ſæc. 2. cap. 4. §. 1. pag. 31. (s) Ibid. §. 4. pag. 35. (t) Arthanas. ſer. in Evang. de Annunc. B. M. in fine. (u) Nazianz. orat. in S. Athanaſ. in fine. (x) Hyerón. in Epitapho S. Paulæ.

bit; quô, pro ipsius inconsequentiis mutuô Lutherani pugnabunt.

Sed quid, humana, in veneratos, invocatos, intercedentesque pro nobis Sanctos, producimus testimonia? 41.
Si cum (y) *Hyeronimo* arguamus; *potius* orandos, intercessurosque (sine *Christi mediatoris* offensâ, 1. Timoth. 2.) inferemus eos in cœlo, quam (sine eâdem) *rogabat Paulus* viventes (z) *ipsum adjuvare, orationibus pro illo ad Deum* - - utque, nedum pro seipsis, sed (a) *simul pro nobis* (ipso Paulo scilicet) *orarent*, etiam *Thessalonicenses* (b) monet: sicut, (c) *orare pro invicem ut salventur*, instruit cunctos *Jacobus*. Clariûs tamen, rogaturum se, *Petrus*, (d) pro mansuris in vitâ, *post* ejusdem *obitum*, obtulit, dum adhûc in terris scriberet: intercedentesque de facto, *Oniam*, (e) & *Hyeremiam*, *pro omni populo Judæorum*, *& universâ sanctâ civitate* legimus, (plurimaque omittentes) invocandos didicimus â *Jacob*, Angelos, & sanctos; cum benedicturus *Filis Joseph*, protulit: (f) *Angelus qui eruit me de Cunctis malis* (scilicet à *Laban* (g) *& Jacob*) *benedicat pueris istis: ET INVOCETUR NOMEN MEUM SUPER EOS, NOMINA QUOQUE PATRUM MEORUM, ABRAHAM, ET ISAAC*: quorum merita, nê DEus deleret populum, à *Moyse* sibi proposita, aspexit, (h) *placatusque est Dominus*. Et quomodo possent habere (i) *Gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, plus, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ*, si justorum & peccatorum res in viâ, Sanctis non constarent in Patriâ? Parum dicerem, Si *Lutheranis* præsentibus insolubilem ex *Jacob* adductâ deprecatione pro orandis Sanctis, rationem,

(y) Cap. 3. contr. Vigilantium. (z) Rom. 15. 30. (a) Colos. 4. 3. (b) 2. Thessal. 3. 1. (c) Jacob. 5. 16. (d) 2. Petr. 1. 15. (e) 2. Machab. 15. 12. & 14. (f) Gen. 48. 16. (g) Gen. 31. 29. & 32. 2. (h) Exod. 32. 14. (i) Luc. 15. 7.

nem, affererem: nullam, etiam nafcituri, dare valebunt, nifi frivolam, evafionem.

15. Neque *Apologifta*, ex non præftitâ fanctis ipfis adoratione, contendens eandem iftorum imaginibus denegandam; etfi (pag. 54.,) faffus, fæculo 4. imagines in templis introductas, minimè adoratas; aufus jam eft eidem argumento fidere; ut fæculo, quarto & deinceps, fanctos, nec religiosè adhuc cultos affereret, quô, nec adoratas imagines æquè inferret: timuit fiquidem, nos fibi reproducturos, Templum, *S. Epiphanio*, ab ejusdem difcipulis dedicatum, imagine ipfius in eodem expofitâ; ficut Iconomachis oppofuêre Patres in feptimâ Synodo (Act. 6.). Templorum autem dedicationes, impotentes hæretici negare fuiffe cultum, blasphemant, jam in fanctiffimis fæculi 4. Patribus fuperftitiofum. Idémque refpondebunt ad Religiofum *Conftantini* factum relatum à (k) *S. Damafo Papa*, locantis in Ecclefiâ *Lateranenfi*, *argenteas*, *Chrifti*, *duodecim Apoftolorum*, *&* *quatuor Angelorum imagines*: ficut in Ecclefiis per ipfum in *Paleftinâ* extructis, ubi maximam, ex auro & argento, imaginum copiam pofuiffe, refert (l) *Eufebius*. Nec minùs infultabunt in (m) *Bafilium* laudantem pictorem, qui in exprimendâ *Barlaami* manu pro Chrifto combuftâ, ipfum *Bafilium* in Templo concionantem fuperaverit; unde potiùs fortitudinem Chriftianam perfuaderet pictura, quam verba: & in ejusdem fratrem (n) *Gregorium Niffenum*, facras picturas in Ecclefiâ laudantem, quia folet *pictura tacens*, *in pariete loqui*, *maximéque prodeffe*: in cunctos, item, fequutos *S. Sylveftrum*, Pontifices, quos (o) *Adrianus I.* refert, templa facris imaginibus exornaffe, quos omnes, nedum contra *Calviniftas*, fervandas, fed & con-

(k) Damafus in vita *Conftantini*. (l) Eufeb. lib. 3. & 4. de vita Conftantini. (m) Bafil. orat. in S. *Barlaam*. (n) Orat. in *Theodorum*. (o) Libr. pro imaginibus.

contra Lutheranos, adorandas intellexiſſe, clariùs explicaverat (p) *Baſilius:* (contra *Julianum Apoſtatam*, etiam in ſacras imagines debacchatum) *quapropter, imaginum illorum hiſtorias*, (ſcilicet Chriſti, Mariæ V., Apoſtolorum, & Martyrum) *HONORO, & PALAM ADORO; HOC ENIM, à SS. APOSTOLIS NON EST PROHIBITUM, SED IN OMNIBUS ECCLESIIS NOSTRIS, EORUM HISTORIAS ERIGIMUS.* Quibus, nedum exulat omnis, in colendis ſanctis, religioséque veneratis imaginibus, ſuperſtitio; ſed conſtans Apoſtolica ſuadetur traditio.

Quid autem rationabilius (ut ad rationes obiter me vertam) quam Templum militantis Eccleſiæ, domus æternæ Dei imaginem, externis, tum Chriſti, tum cæterorum cœli incolarum, quoque ſimilitudinibus repreſentari? Quid juſtius, quam, qui venerationem Principi debitam, civilem, ejusdem imaginibus ad hunc finem, ubi præſens non adeſt, expoſitis, præſtare didicimus; ipſiusque Miniſtros, ſalvâ ſupremâ dignitate Regiâ, interpellemus: Deo verò, dum differtur ejusdem viſio, erubeſcamus, ſacrâ adoratione, in imagine, ſenſibiliter ut ſigno quodam, proſterni; ipſiusque Miniſtros Angelos, & ab eo *valde honoratos* amicos colere & rogare propter ipſum DEum, à quo habent ut talibus honoribus digni fierent? Quidque concordius, (ut cum Patribus ſacræ (q) ſeptimæ Synodi loquar efficaciùs) quàm, qui, ſicut ex auditu, in amorem Dei, per ipſius Verbum accendimur; ex viſu quoque, picturâ non minùs motivâ, ad præſtandum Deo honorem debitum inducamur? Verba Synodi repetam ut vim rationis oſtendam: *Videmus, quod ante ſacras ſex Synodos, & poſt has etiam, ſanctorum picturæ in Eccleſiâ traditæ fuerint,* 16.

(p) & habetur in Syn. 2. Nic. Act. 4. (q) Act. 6. Tomo. I. apud Caranza fol.

erint, non aliter ac ſacra Evangelii lectio. Nam quæ leguntur, ubi ad aures venerint, ad animum deinde legamus, & transmittimus: & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque, mente complectimur: atque per duo ISTA INVICEM CONSEQUENTIA, LECTIONEM, & PICTURAM, unam cogitationem acquirimus, quâ ad recordationem rerum geſtarum pervenitur. Unde ex duobus iſtis ſenſibus, in Canticis Canticorum (2. 4.) invenire licet efficacem conjunctionem; ſic enim dicitur: oſtende mihi faciem tuam, & me audire fac vocem tuam. Sicut igitur Evangelium audientes, ſingulariter, detecto capite, erecti, ipſum exoſculantes, idem, & Chriſtum in eo loquentem adoramus; ità imagines, & in ipſis objecta ſacra, modo ſuperiùs explicato religiosê colimus. Vel propriùs: ſicus is, qui Evangelium non audiens, ſed apud ſe immotis labiis legens, ſacram hiſtoriam litteris expreſſam adoraret ſibi repreſentatam per viſum: quare alius quislibet, idem objectum in picturâ ſibi oſtenſum, eodem religioſo cultu adorare non poterit?

17. Sed pariter nunc confundamus novos iſtos Iconoclaſtas ad hominem. Et primo; non latet *Calvini* impudentia ſcribentis: (r) *plusquam ridiculi ſunt Sorbonici Sophiſtæ*, (cuncti Orthodoxi debuiſſet dicere) *qui ex præſenti loco: in nomine JEſu omne genu flectatur; genuflectendum eſſe colligunt quoties nomen Jeſu pronuntiatur: quaſi vox eſſet Magica, quæ totam in ſono vim haberet incluſam.* (Preſcindamus de materiali genuflexione; adorationem enim in ea non conſiſtere, ſed in quolibet ſigno externo, quo ſubmiſſio exprimatur interna, docemus cuncti Catholici; nec aliud ſapientes Sorbonici, ac cæteri, inde, quam nomen *Jeſu* adorandum colligimus. Ab *Antilogiâ* tamen liberum *Calvinum* nemo dicet, qui in ipſo defenden-

(r) *Calvinus* in cap. 2. Epiſt. ad Philipenſ.

dendo insudet.) Legitur enim in eodem: (s) *Ità reputanda est nobis, in hoc nomine* JESU, *Divina Christi Majestas, ut reverentiam apud nos obtineat, QUÆ UNICO DEBETUR & ÆTERNO DEO.* Num reverentia æterno Deo debita, vera sit *ADORATIO?* etiam *Calvinistæ* respondeant, qui nec aliam sanctis concedunt. *Lutherani* siquidem, audito *Jesu* nomine, inclinato capite, vel externo adorationis signo, *Majestatem religiosæ adorationis* ex passionis merito Christo debitam, exteriùs profiteri posse, non negant. De quâcumque verô, sive exteriori, sive internâ, loquatur *Calvinus*, sic infero in ipsius sequaces: Ratio signi *Jesu Christi*, ob quam tantûm, nomen *Jesu* est adorandum, non minus est in picturâ, aut quavis ipsius notâ imagine, quam *in voce*: igitur, illi, æquê ac isti, erit adoratio tribuenda. Quemvis (*Calvinum* ipsum, & *Lutherum* si viverent) illationem inficiantem, ad tyrocinia Dialecticæ remitterem, ut inter signa *vocalia*, *mentalia*, & *scripta*, quandam, ignotam usque adeô, differentiam formalem, novo SOPHISMATE somniaret. Imò: nomen *Jesu* (etsi pluribus (t) commune) ex appropriatione signi ad *Christum D.*, statuitur reverentiâ soli Deo debitâ venerabile: ergo imago (ad minus, istius) *Christum* Redemptorem & Salvatorem æquè significans, eâdem adoratione digna censetur.

Unicum Primitivæ Ecclesiæ factum, clarissimê ab 18.
Eusebio (u) asseveratum; à *Sozomeno* (x) confirmatum; à *Damasceno* (y) Creditum; à *Theophilato* (z) narratum; nullo non *Icomomacho* non verum; impotens *Apologista* negare, conatur, mixtis additiunculis, feréque incognitorum etherodoxorum glosis, eludere (à pag. 54. ad 60.

(s) Calvin. in Math. 1. v. 23. (t) Josue. 1. Zachar. 3. (u) Euseb. lib. 7. Histor. cap. 18. (x) Sozom. lib. 5. c. 20. (y) Damasc. lib. 1. de imaginibus. (z) Theophilactus in Math. 9.

ad 60.) Factum est: Imagò Salvatoris in urbe, quondam *Dan*, postea *Paneada*, tandem *Cæsareæ Philippi*, miraculum sanatæ à fluxu sanguinis mulieris exhibens; continuo prodigio, etiam in signo, inexaustam Christi misericordiam ostendens. Hoc ut exemplum eludat; *Eusebium*, ex aliis, quid *relatum (aiebant, ferebant)* scripsisse, affirmat: cumque, ipsum *Eusebium*, *se vidisse* statuam illam, civitatem ingressum, asserere, non taceat; additum ab alio, *Apologista* tanquam depositarius antiquitatum pronuntiat. Prævenit, se convincendum, in *Eusebio* referendo, falsarium; meretricumque mutuatus impudentiam, antecessit, aliis proprium imponere vitium, Integrum caput 18. Hystoriæ *Eusebii* lib. 7. Latinê vertam, sicut sapientissimus *Mr. Cousin Parisiis an. 1686.* Gallicê offert legendum. Postquam cap. 17. miraculum à nobili Romano *Astyrio* patratum, tollendæ superstitionis causà in civitate *Paneada*, retulerat; natante ejusdem orationibus in Jordanis fluvio Victimâ, quæ, quotannis à civibus oblata, ope Diaboli, subitô absorbebatur à flumine: Cap. 18. sic scribit: *Occasionem itaque nactus, ut de hac civitate loquar; credo non omitendum, notabilissimum id, quod in eâ ASPICITUR. Mulier, quam Salvator quondam à fluxu sanguinis sanavit, erat inde orta. VIDETUR adhuc ejusdem domus, & ante januam, monumentum quoddam ejusdem sanationis, & gratitudinis. Istud est, Columna quædam Lapidæa, binas statuas æreas sustinens: unam, mulieris, flexis genubus orantis; aliam, Salvatoris stantis, amicti diploide, manumque ad mulierem protendentis. GRESCIT ad hujus plantas ignota quædam herba, ad ejusdem usque fimbriam assurgens; â quibuscumque morbis sanandi vim habens. EGO IPSE HANCCE STATUAM VIDI. Nec mirandum, Gentiles, talem memoriam boneficiorum quæ à Christo receperant, conservasse*

sole-

solebant enim posteritati relinquere hæc gratitudinis ipsorum signa, versus eos, qui beneficiis ipsos obstrinxerant. IPSEQUE VIDI QUAMPLURIMAS, SALVATORIS, PETRI quoque & PAULI, IMAGINES, HOC MODO, AD NOSTRAM ÆTATEM USQUE, CONSERVATAS. Sunt ne hæc ex relatione aliorum ab *Eusebio* relata, aut à seipso visa? Ubi,nec per somnium, leguntur verba, *ajebant, ferebant*, quæ *Apologista* confingit? *ASPICITUR - - CRESCIT - - EGO IPSE VIDI*: sunt assertiva, nê, ex visu, an relativa ex auditu? *IPSEQUE VIDI QUAMPLURIMAS - - ad nostram ætatem usque Conservatas*, antiquissimum imaginum usum primorum Ecclesiæ sæculorum vertent in dubium? Unde inferet *Apologistâ* (pag. 56.) hanc *à consuetudine Gentilicâ derivatam consuetudinem, Christianæque Ecclesiæ minimê probatam* (plura in Eusebio verba farciens); cum *Eusebius* tantum dicat: *nec mirandum* esse quod beneficiorum receptorum à Christo piam memoriam, etiam Gentiles permiserint? Tot, insuper, *Salvatoris*, *Petri*, & *Pauli* imagines, à Gentilibus dicemus erectas; an inter ipsos, fidelibus, venerationi permissas? Si adhuc, fasâ devotione mulieris, ipsam, *in erectione Statuæ*, cum *Apologistâ* (Ibidem) vocent Lutherani *mulierem Ethnicam*: sicut insolentiûs *Calvinus* (a) ipsam asseruit, in tactu *fimbriæ Christi*, *superstitiosam*; Christum ipsum audiant, (b) *fidem* ipsius quæ *eam salvam fecerit*, prædicantem; ipsamque *in pace* dimittentem; (c) *ut cognosceret seipsam à peccatis mundatam*, (ait Scholiastes Chrysostomi.) Nec *Martham Magdalenæ* Sororem, dicam hanc, cum (d) *Ambrosio*; nec *Veronicam*, Christo occurrentem Crucifigendo, eique linteum offerentem, cui impressa effigies Christi fuerit detersâ facie, credam, ex Apo-

(a) Calvinus. ap. Corn. à Lap. in cap. 5. Marci. (b) Mar. 5. 34. (c) Scholiast. Chrisost. ibid. (d) Ambr. lib. de Salomone cap. 5.

Apocripho *Nicodemi* Evangelio: ſed piam fœminam, ex profluvio ſanguinis afflictam, verâ fide Chriſtum quærentem; & comprobato miraculo, amore Chriſti accenſam, dimiſſamque, nedum ſanam, ſed juſtam.

19. *Non cultus, aut venerationis causâ, ſed in beneficii recolendi memoriam*, (*Apologiſta* balbutit adhuc) ſtatuam illam fuiſſe erectam. Faveat quilibet denuò legere (cap. 19. ſequenti,) ipſum *Euſebium*: *Hyeroſolimis* (ait) *Fideles, apud ſe adhuc retinent ſedem Jacobi dicti Fratris Domini, à Salvatore & Apoſtolis ejusdem civitatis Epiſcopi conſtituti: EANDEMQUE MAXIMA VENERATIONE CONSERVANT. Quod clarè demonſtrat, Chriſtianos, ÆQUE TRANSACTIS SÆCULIS, ac NOSTRO* (erat initio 4.) *QUAM MAXIME, OMNI TEMPORE, SANCTOS HONORASSE, ob amorem quo ipſi in Deum ardent.* Euſebium advocavit; Euſebium audiat. Ipſo, quo uſus eſt teſte; nedum *Imagines*, ſed & *Sanctos*, eorúmque *reliquias*, religioſâ veneratione cultas, à primis Chriſti ſæculis, diſcat.

20. Quod ſi *Sozomeno* (e) juxta *Apologiſtam* (pag. 57.) credamus; ſtatuam hanc religioſè cultam, non tantùm ex loco ſacro in quem translata refertur, poſtquam ope *Juliani Apoſtatæ* fracta fuit; ſed etiam ex motivo Imperantis illius Luciferini, ampliùs convincemus. *Julianum*, in *Chriſtum*, contemptim *Galilæum* vocatum, ferali odio furentem, ſtatuam hanc dejeciſſe; Ethnicoque more, inter Divos, adhuc vivus, referri cupientem; ſupra eandem columnam, loco dejectæ Chriſti imaginis, ſuam conſtituiſſe effigiem; quam fulminis ictu deſiliiſſe, Cœlum decreverit; (f) eſt compertiſſimum. Quidni adorari Chriſtum in illâ ſtatuâ *Julianus* viderit; qui effigiatus

(e) Lib. 5. hiſt. cap. 21. (f) ex Sozomeno ibid. & ex hiſtor. Tripart. lib. 6. cap. 19. ap. Cornelium. ubi ſup.

tus ibidem, Christo major adorari voluit? Quique, juxta *Cyrillum Alexandrinum* (lib. 6. contr. Julianum) reprehendit Christianos, quod Jovis arma cessaverint adorare, interímque Crucis lignum adorent, *imagines illius in fronte, & ante domos, pingentes;* Taceamus, quod à Christianis Imago Christi refecta, in Templum translata fuerit, nè, *Philostorgium*, Philo-stupidus alius *Apologista* confingat; cui nævum de non adorandis imaginibus *Vallesius* detegat, vel addat, sicut *Apologista* noster talibus *Ecclesiæ Lutheranæ* Patribus usus putat (pag. 58.) doctissimis *Catholicis* Scriptoribus *indissolubilem* texuisse *nodum.* Certè non crediderim, Catholicos Scriptores similium homuncionum erroribus anxios; quos, primos *Iconomachos*, *in Synodo septimâ*, nec memorasse legimus. Quid quod *Eunomianus* fuerit, quidve quod Novatores *Iconoclastam* quoque ipsum producant? Fateor, apud (g) *Pfasium*, inter Scriptores 5. sæculi, legisse me, Historiographum hunc *Philostorgium*, sed pluribus Græcorum Authorum tabulis recensitis, nec nisi illaudandum legi in aliquâ nominatum: unde, quem Græci quondam ad *Iconomachiam* Pseudo-Synodicam non noverunt, in nonnullo *Lutheri* archivio, novi *Iconomachi* conservarunt. Apud ipsum *Henricum Vallesium*, (præfat. in Philostorg.) hunc, *Authorem Deo invisum*, ex *Nicephoro Callixto*, audient; ex *Photio* Patr., hominem *impium*, *minimæque fidei in Catholicos*, cujus affectatus Stylus Poesim plus sapiat, quam historiam: Plurimùm hæreticos laudantem, lacerantem ad extremum usque Catholicos; in *S. Athanasium* injuriosissimum (addit in Dictionar. *Morerius.*) *Arianus*, ergò, & *Eunomianus*, quid ad nos, quod verè, vel fictè, fiat à Lutheranis *Iconomachus*.

Rationabiliùs meminerimus, (h) *Evagrii* (qui sæculo 21.

(g) Pfasius sæc. 5. cap. 1. pag. 102. (h) Lib. 4. cap. 26.

culo 6.) *Joannis* (i) *Damaſceni* (qui 8) & *Simeonis* (k) *Metaphraſtes* (qui ſæc. 10.,) referunt patratum *Edeſſæ* miraculum, ad imaginem ibi conſervatam à Chriſti tempore, in linteo facie Chriſti impreſsâ, miſſam ad Regem *Agabarum*; cujus translationis, ab *Edeſsâ Conſtantinopolim*, diem feſtivum ducebat illa Patriarchalis Eccleſia. Aut *S. Athanaſii*, (l) (ſivè Authoris ſibi Coævi, ſæc. 4.,) qui (juxta Synodum 7. Act. 4.,) imaginem memorat Chriſti, à *Nicodemo* factam, à Judeis miraculoſo manante ex ea ſanguine crucifixam, innumeris prodigiis claram. Nè referam cunctos Scribentes, *S. Lucam* plures *B. Virginis* depinxiſſe imagines: *Ambroſium*, (m) noſcentem in viſione ſanctum *Paulum*, quem antea in imagine ipſius pictâ viderat pluries & oraverat; & alios plurimos: quibus clareſcit allata *Baſilii* ſententia, *adorandi imagines*, pietate *traditâ ab Apoſtolis*. Iconomachiam ſiquidem *Caroli Magni* inſinuatam (pag. 59.), inferiùs ubi *Apologiſta* eam repetit, vindicabimus.

22. Ex *Tertulliani* (jam *Montaniſtæ*) iteratâ Confeſſione (lib. de pudicitia cap. 7. & 10.,) depictæ imaginis, ſuo tempore, perditæ ovis, quærentisque & eam reducentis ad ovile Paſtoris, in ſacris calicibus: ſicut ille fateri noluit ſignificatum Chriſtianum hominem in perditâ & reductâ ove, ſed Ethnicum; nè pœnitentiam lapſis poſt baptiſmum utilem, contra *Montaniſtas* concederet: ità *Apologiſta* (pag. 61.) Chriſtum in Paſtore expreſſum, negari poſſe concedit. Ratio audiatur: quia *Tertullianus nec dicit, nec ex verbis ejus colligi poteſt. Evangelicos* eſſe audebunt Lutherani amplius venditare; an *Tertullianiſtas*? Legunt in Evangelio, Chriſtum ſe affirmantem *Paſtorem* (n) *bonum* - - (o) *non veniſſe, niſi ad*

(i) Lib. 1. de imagin. (k) In vita Conſtantini M. (l) Lib. de Paſſione Imag. Dni. cap. 4. (m) Epiſt. de invent. corp. SS. Gervaſii & Prothaſii, apud *Surium*. (n) Joan. 11. (o) Math. 15. 24.

ad oves, quæ perierant domus Israel - - (p) *potius ituros jubentem Apostolos, ad oves, quæ perierant* - - (q) &, *sicut oves* antea *errantes, conversos,* (ait Petrus) *ad Pastorem, & Episcopum animarum*, fideles: in Christi autem depicta (r) *parabola: Pastorem Christum* non esse contendent, quia *Tertullianus* non dixit? Non minori, (certiùs ego dicam) sed majori scelere, negat *Apologista*, in *Pastore, Christum;* quam in ove, negavit *Tertullianus* lapsum *Christianum* peccatorem: hic enim adminus *Ethnicos* fatetur à Christo reductas oves: ille, *Pastorem* negans *Christum*, cunctas ipsi adimi consequenter inferet. Sed *Tertullianum*, (verbis ab *Apologistâ* adductis) audiamus: (s) *ipse picturæ calicum vestrorum* (idest Catholicorum) *si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, UTRUMNE, CHRISTIANO, aut ETHNICO peccatori de RESTITUTIONE conliniet.* Sive *Christiani*, sive *Ethnici*, *RESTITUTOR*, posset, nisi ab Ethnico, negari *Christus*, ut dicat *Apologista, ex verbis Tertulliani, Christum*, in Pastore *restituente, colligi non posse?* Christianum semel post baptismum lapsum, negabat Tertullianus reduci; pro *Ethnico* tamen perdito ad ovile Christi *restituendo*, suponebat *Christum* Pastorem - - quem, ex Orthodoxâ doctrinâ *pænitentiæ secundæ;* hæreticus infert: (t) *prostitutorem Christiani Sacramenti; & moechiæ asylum post calicem sequuturæ.* Ex verbis igitur, quibus *Tertullianus* blasphemat, *Apologista* ineptit.

Esto verò (prosequitur) *dicatur, fuisse Servatoris imaginem; num statim inde sequitur, eo tempore, imagines, in TEMPLIS, AUT LOCIS in quibus SACRORUM peragendorum CAUSA Christiani conveniebant, positas fuisse; & quidem, ut cultus quidam aut veneratio iis exhiberetur?* (Bone 23.

S 3 DE-

(p) Math. 10. 6. (q) 1. Pet. 2. 25. (r) Luc. 15 5. (s) cap. 7. de pudicitia. (t) Ibid. cap. 10.

DEus !) Utentur *Lutherani* Calicibus, *in Templis*, an in cauponis? *Calicum* nê usus, de quibus Tertullianus loquitur, negat *Apologistâ*, fuisse *in locis, ubi Sacrorum peragendorum causâ Christiani conveniebant?* Potiùs dubitari potest, num ipse sit Christianus. Neque melius exprimi poterat *cultus & adoratio exhibenda* imagini; quam locando illam *Christi Pastoris*, ovem perditam recuperatamque reducentis, in Sacerrimo nunquam satis adorabili *Calice* continente verum sanguinem, quem pro ove redimendâ & sibi Lucrandâ Divinus ille Pastor effudit. Nê igitur putet *Apologistâ*, Orthodoxos, *Tertulliani* tempore, calices sacros ita vulgariter exposuisse, sicut *Lutheranorum Fratres Bohemos;* qui (u) in vexillis bellicis, plateis, & muris, eos pingebant, inde *Calixtini* vocati; de quibus metricê:

Tot pingit Calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi Numina sola coli:

Sacratiûs, Vasa Divino Sacrificio destinata, in loco Ecclesiæ dicto *Diaconio*, servabantur, in quo, simul repositam statuam Christi *Paneadensem*, refert ex *Philostorgio* ipse *Apologistâ* (pag. 57.) male inferens mansisse extra Ecclesiam; Vasa sacra siquidem, apud Græcos servari in Ecclesiâ, ad sinistrum latus sanctuarii, nullus qui Ecclesias viderit ignorat. Usum vero calicis, in Ecclesiâ, & cum summâ adoratione fieri, negabunt illi qui (x) *bibent de manu Domini Calicem iræ ejus*, nisi Divinus Pastor eos ad veri ovilis calicem sacrum gustandum reducat.

24. Parvihabitis iterum, à quarto sæculo, sanctis Ecclesiæ Patribus, quorum doctrinam sibi objiciendam confundere impotens, blasphemat erroneam (pag. 62.): positivê prohibitam tribus primis sæculis ut probet ve-

(u) Vide Historicos, etiam Lutheranos. Kromaier. Cent. 15. pag. 557. Pfaffium. sæc. 15. cap. 3. §. 2. pag. 282. (x) Isa. 51. 17.

venerationem imaginum, vel adminus, in usu fuisse nullo: ad Nationalem *Hyspaniæ* Synodum *Eliberitanam* (aliis *Illiberitanam*) anno 305. à Christo nato Celebratam provocat; ubi (Can. 36.) dicitur: *placuit, picturas in Ecclesiis esse non debere, nê quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Præsto sum, ut Religiosissimos Synodi hujus Patres in meo *Cathaloniæ* (y) Principatu, (Urbe nunc *Colliberis*) convenientes, à nefandâ *Iconomachiâ* defendam. Nec ad hoc dicam *suppostitium canonem*; aut tantum pro *Bæthicâ* (melius *Cataloniæ*) *Provinciâ* decretum; aut solas *imagines Dei aut Trinitatis* comprehendere; aut *contra Synodum illam furorem effundam*; sicut, fecisse Catholicos authores accusat *Apologistâ* (pag. 63.) Nec tandem, prohiberi picturas in parietibus, ne temporis decursu deformarentur aut decolorarentur, ut frivolê tangit Hispanus (z) Chronographus *Mariana*; nam contingens earum destructio nil obest, quin Catholicorum, & plus Græcorum Ecclesiæ, pictis ad parietes imaginibus exornentur. Secundam (a) *Nicolai Sanderi* repetam, & confirmabo rationem: *ne à Gentilibus, in persecutionibus, contumeliosê tractarentur.* Hanc forsan *Apologista legit*, Sed eam subticuit; nê, sacrilegis Protestantium, in *Galliâ*, *Belgio*, *Helvetiâ*, *Angliâ*, & alibi, insultibus, compelleretur fateri verissimam. Quam, priusquam fusiûs solidiúsque suadeam: noto, *Apologistam*, verba Canonis fideliter relata in initio, postea invertisse, cum (pag. 64.) scribit: *tumque ratio additur* (nê picturæ sint in Ecclesia) *quod nefas sit, adorare, aut Colere, id quod in parietibus depingitur.* Nil mirum, Lutheranum authorem Lutheranos sic volentes seducere; absit tamen ut transpositis verbis Orthodoxis me-

(y) Pujades Chronica de Cataluña. (z) Mariana. hist. de España. lib. 4. cap. 16. (a) Sanderus lib. 2. de cultu imag.

metum incutiat. Quis extremum non Capiet discrimen inter hæc duo: *ne QUOD COLITUR, AUT ADORATUR, in parietibus depingatur*, quod Canon expressit: &: *nefas est adorare aut colere, quod in parietibus pingitur*, quod *Apologista* transvertit? Primum, aliquid *adorandum* supponit, quod Cavet *depingi*: secundum, *picturam* supponit, cujus adorationem vetat. Primum decernit Canon, *quod colitur* de facto, *aut adoratur*, supponens: secundum, fingunt *Inconomachi;* quô adorationem signorum prohibitam somnient, ex verbis ipsis quæ adorationem supponunt.

25. Utque clariûs patescat motivum canonis adducti, attendi debet ad statum Ecclesiæ in Hispaniâ, tempore Synodi illius. Etiamsi daremus, habitam istam post *Nicœnam 1.* immediatê, sicut sentiunt quidam, pace jam Ecclesiæ datâ per *Constantinum M.*: certum est tamen ex historiographis, Imperium Romanum non ita pacificê possedisse tunc Hispaniarum regna, ut Gentilitatem inde *Constantinus* funditûs extirpaverit: effrenes siquidem, *Gothi*, *Wandali*, *Alani*, *Silingi*, *Suevi*, *&* *Salii*, Europam, sæculo. 3., nedum armis in Romanos motis, sed idololatræ veram Religionem Christianam respuentes, agitarunt; itaut, tempore *Decii*, etsi priûs devicti (b) *Gothi*, usque in Italiam penetrantes, ipsum, ejusque filium oppugnarent & interficerent; usquequô, tempore *Flavii Claudii*, (c) cum *Herulis* ad trecenta hominum millia extensi, in *Mysiâ* & *Macedoniâ* dispersi, ab isto oppressi sunt. *Hispania* itaque, tot nationum tunc afflicta sedes, (d) sustulit, in *Galleciâ* *Suevos*; in *Lusitaniâ* *Alanos*, in *Bætica*, *Silingos*, & *Wandalos*; & licet *Celtiberi* Romano Imperio pro majori parte parérent; *Gothi*,

(b) Kromaler. Cent. 3. pag. 120. (c) Idem pag. 123. (d) Mariana lib. 4. cap. 1.

thi tamen verſus *Pireneos* montes conſedentes, tandem fortiores, cœteros debellantes, totam *Hiſpaniam* occuparunt. *Nec* Gothos uſque ad ſæculum 4. Chriſtianam legem amplexos, legimus, Baptizato eorum Rege *Alarico*: imò eisdem Chriſtianos Doctores petentibus, invenimus (e) miſſos à *Valente*, *Valentiniani* fratre, & Imperii conſorte, *Ariano*, ejusdem ſectæ homines, à quibus eodem toxico inficerentur; uſque ad *Reccaredum* (f) Regem, qui ſub fine ſæculi. 6. in Synodo *Toletana* 3. ex Ariano Orthodoxus declaratus eſt. Sicuti ergo *Gothorum* anterior Ethniciſmus, ita Arianiſmus (g) conſequens valde conturbavit Hiſpaniam. Quarum nationum mutuæ tunc temporis clades, viſæ ſunt *Ambroſio*, (h) Signa, ex Chriſti ſententiâ (Luc. 21. 10.) mundi finem anteceſſura: *ſurgendi gentem contra gentem, & regnum contra regnum.* Veroſimiliûs tamen judicant authores, ſynodum Elibertinam, celebratam, circa annum 300. vel 305. (apud *Tillemontium*, in notis ad Tom. 7. not. 1. ad *Oſium*. pag. 714.) unde vigente in Hiſpaniâ idololatriâ.

Hiſpaniam itaque, etſi per *Jacobum* Apoſtolum fide Chriſti dicamus illuminatam; (i) *quibusdam per eum converſis, ex quorum numero, ſeptem poſtea Epiſcopi à Beato Petro ordinati, in Hiſpaniam primi directi ſunt*: non tamen ibi taliter quievit Eccleſia, ut perſequutionibus Imperatorum, Gentiliumque ibi dominantium, motis, innumerabilium illic Martirum ſanguine irrigata non creſceret, uſque ad fines ſæculi 4. & amplius. *Primum*, fuſiûs oſtendi, in oratione ſacrâ, quam in Feſto *S. Jacobi*, in Templo Catholicorum Moskuæ, anno 1729. à me dictam: (ſub titulo: *Nomenclatura Boanêrgica*) *Magnæ* 26.

(e) Vide Kromaier. Cent. 4 ad Valentinianum pag. 174. (f) apud Caranza pag m. 170. concil. Tolet. 3. (g) Vide Mariana lib. 4. cap. 1. (h) lib. 9. in Luc. 21. (i) Breviar. Rom. in feſto S. Jacobi lect. 2. noct.

næ Britanniæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regi dicatam, Typis *Petropoli* editam, juſſu Præſidis Academiæ *D. de Blumendrosdt;* receptis pro 100. Exemplaribus, ſcutis quadraginta per ejusdem Academiæ Bibliothecarium, *D. de Schumâcher*; duobus tantùm clandeſtinê ex typographiâ habitis, & ficto impreſſionis loco (Romæ &c.) prænominatorum fraude, nunquam nobis tradi, (ſcio, quod potentioris Proceris ope) ſiverunt. (Nec mirandum, Lutherani ſiquidem omnes ſunt, de hac eorundem juſtitiâ, & fide, etiam civili; hoc ſentiendum, quod tales alat, & honoret viros, Monarchia Ruthena.) *Secundùm*, præter communiores hiſtorias, notavit *Auguſtinus*; (k) cujus tempore (*Sancti Epiſcopi* (quidam) *de Hiſpania profugerunt; priùs plebibus, partim fugâ lapſis, partim peremptis, partim obſidione conſumptis, partim Captivitate diſperſis: ſed, multô plures, illic manentibus propter quos manerent, ſub eorundem periculorum denſitate manſerunt.*

27. Quis igitur dubitabit, afflictam tunc in *Hiſpania* Eccleſiã, congregatis 19. Epiſcopis, cum celeberrimo *Oſio*; quos inter, pro fide paſſi, membro quodam corporis carentes non deerant; quosque Orthodoxos, Sanctos, & *penê non Martyres*, fatetur Græcus (in Latinos injurioſiſſimus) *Georgius Coreſſius Chius, Medico Theologus*, noviſſimus elapſi ſæculi ſcriptor (Prolegom. ad ſynopſim Nili cap. 4.); quorumque laudes inſinuat *Tellemontius*, tom. 7. tit. de *Oſio* art. 2. pag. 303.; quis inquam dubitabit, iſtos, ſanctiſſimo zelo canones illos edidiſſe ſemper à viris ſapientibus magnihabitos, magnique roboris in Latinâ Eccleſiâ? Viguiſſe tunc idololatriam *Gothorum*, cæterarumque Gentium, conſtat ex Can. 1. ipſius Synodi, decernente contra eos qui poſt baptiſmum idolatraverint; & Can. 17., contra eos, qui Sacerdotibus idolorum

(k) S. Auguſt. Epiſt. 180. ante medium.

rum filias matrimonio junxerint. Igitur, P. P. timentes illic persequutiones Gentilium, sacras imagines (quas *adorandas* supponunt) *non depingendas* statuerunt, non absolutê, sed *in parietibus*, quomodo, à Ludibriis idololotrarum advenientium liberari non poterant: hocque sonant Canonis verba: *nê quod adoratur aut colitur, in parietibus depingatur*: sicque, extra parietes, sive pictæ, sive sculptæ imagines, tunc essent, ut casu requirente, Gentilium sacrilegiis non manerent expositæ, sicut Iconomachorum insultibus visum est sequentibus sæculis. Quisquis *Hispanias* peragraverit, propheticum illorum Patrum spiritum dicet: millena ibi inveniet erecta sanctuaria in honorem inventarum imaginum, hîc miraculosê designato loco, illîc casu reperto, ubi sepultæ jacebant. Has, tum lapideas, tum luteas, tum ligneas, sepelierant Christiani ab inculcaturis Gentilibus, noviterque Mahumedanis, defendendas. Inter cunctas (etiam nonnullas nostro tempore repertas) eminet Beatissimæ Virginis statua ad 7. à *Barcinone* miliaria, in ferê inaccessibili *Monte Serrato*, miraculosê manifestata, ubi *Barchinonensium* quondam *Comitum* pietate, ex antro, quo delituerat, in Magnificentissimum Templum translata, à ducentis Monachis, diurnis & nocturnis laudibus colitur; dispersis inter prærruptas illas saxeas pinnas exemplarissimis Eremitis invocatur; convenientibusque è toto ferê terrarum orbe peregrinis, continuatâ Miraculorum praxi, sanctissima Deipara, in imagine adoratur. Constat igitur, ex motivo, Canonis *Eliberitani* sensus, qui nullatenus contra imagines fuit, quas *adorandas* asserit; sed ad ipsarum Cavendas contumelias, imminente persequutione Gentilium, pictas in parietibus non sinere decrevit. Vanissimê, inde, *Apologista* (pag. 62.)

 ad

ad *Agobardum Lugdunensem* recurrit ; virum, ob seditionem contra *Ludovicum pium*, ab Episcopatu synodicê depositum; etsi posteâ, sub *Lothario*, cujus Imperium vivente *Ludovico* Patre procuraverat, restitutum. Hunc, imaginum cultum non damnasse sustinent *Galli*, sed earum venerationem ad prototypos referendam docuisse. Quidquid de ipso sit; nil authoritatis præstare vir hic poterat *Iconomachis*, si malê intellecto Canone *Eliberitano*, contra Orthodoxam imaginum adorationem scripserit. (Vide plures apud *Moreri* in Dictionario)

28. Mirum tamen est, *Apologistam*, dum Sanctorum ipsorum adorationem, ad eosque directas preces, invocationesque, evigilans *Vigilantium* (quem, *Dormitantium* potiùs apellandum, sensit (l) *Hieronymus*) antea improbaverat; Canonem 34. prædictæ Synodi non adduxerit: (m) *Cereos, per diem, placuit in cœmiterio non accendi. Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt ;* quo, sicut Lutherani, superstitiosam accuset pietatem colendi, & sanctos, & eorum imagines, accensis in eorum honorem luminibus. Sed jam sibi responsum scivit, Christianos noviter ex Gentilitate conversos, inter istius reliquias, non plenè purgasse errorem illum, quo, defunctos inter Divos relatos putabant luminibus & clamoribus evocandos : quomodo inter Hæbreos extitisse Pythonem habentes, qui fallente Diabolo, fingebant suscitari & respondere mortuos, constat ex (n) muliere illâ, quam consuluit *Saul* ut suscitaret *Samuelem*, qui eodem usus est vocabulo Regem increpans : *quare INQUIETASTI me, ut suscitarer*, quo, Canon decernit, *inquietandos Spiritus Sanctorum non esse.* Fuerit enim Phantasma, ope demonis *Samuelem* adumbrans, ut sensêre (o) plures ; vel

(l) Hyeron. lib. advers. Vigilantium. (m) Apud caranza. pag. m. 39. (n) 1. Reg. 28. (o) Theodoretus, Tertulianus, Rupertus, Beda, & alii.

vel ipſa *Samuelis* anima in aſſumpto Corpore, ut veriùs judicant (p) alii (juxta ſacram litteram, Eccl. 46. 23.) ſuſcitante Deo *Samuelem* anteaquam mulier magicè eundem evocaret: increpatur tamen *Saulis* conatus, quo, poſtquam *abſtulerat magos & ariolos de terrâ*, Pytoniſſam *inquietaturam Samuelem* conſuluit: eadémque Magia Gentilica, aut error, dicto canone prohibetur. Quod ſi de Sanctorum honori dicatis accenſis luminibus, repetant Lutherani, cum *Vigilantio: magnum honorem præbent hujusmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrari* - - Reſpondebit *Hieronymus* (ſicut *Vigilantio*): *confiteor* (ſi hoc judicant de ſubſtantiali gloriâ Martyrum) *zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Addet tamen idem: *cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus egebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honorem Chriſti fecit, devotioque mentis ejus recipitur: & quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam, habent mercedem* (& infra; diſtinguens pietatem ritus Catholici, à ſuperſtitione Gentilium & idololatriâ) *illud fiebat Idolis, & ideo deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcircô recipiendum eſt.* Confundatur hinc inſolentia Lutheri, quâ hæreticis antiquiſſimè abominatis, Sanctos PP. Eccleſiæ poſtponere, diſcipulos ſuos edocuit, ſcribens (in poſtillâ exaltat. S. Crucis:) *Si adhuc Vigilantii monumenta ſupereſſent, quemadmodum Hieronymi etiamnum extant, facilè crediderim, eum multò Chriſtianius ſuper hoc* (de veneratione SS. in Sacris reliquiis) *quam ipſum Hieronymum, ſcripſiſſe.* O, impudentia! ſed de ipsâ ſatis - - - - Quod; ſi de cereis, ad *cœmeterium Buſtetúmve*, ſepeliendis Chriſtia-

(p) Ambroſ. in Luc. 1. Hyeron. in Iſa. 7. Auguſt. lib. de cura pro mort. Lira, Cayetanus. & alii.

ſtianorum cadaveribus, accenſis, male intelligantur Canonis verba; ſicut (Catholicus etſi) ut Synodum reprobaret, intellexit Græcus *Nicolaus* (q) *Comnenus* (infra eapropter redarguendus): Reſpondebunt, *Gregorius* (r) *Niſſenus*; comitaſſe funus *S. Magrinæ*, plures, *qui cereas lampades haberent præ manibus*; & *Hieronymus*, (s) idem, in *S. Paulæ* funere referens: ideóque, nîl iſtorum damnavit Synodus, ſed ſuperſtitioſam mortuorum evocationem, quam diximus à Gentilibus & Judæis relictam.

29. Nec, itaque, à tuendâ ſacrâ illâ Eliberitanâ Synodo deſiſtam, quin Catholicis quoque Scriptoribus eam minus veneratis ſatisfaciam. Injuſtè ſiquidem *Comnenus* idem addit; reprobatam eſſe Synodum illam quoad plures ejusdem Canones decernentes, *nec in fine vitæ dandam communionem* pluribus graviùs delinquentibus; per Synodos, *Ancyranam*, Can. 6.; *Nicænam 1.* Can. 12., ubi Euchariſtia, cunctis, etiam ſceleratiſſimis, in morte, vocatur *neceſſarium vitæ æternæ Viaticum*, ideoque decernitur, neminem eâ defraudandum; *Agathenſem* Can. 11.; & alias. Injuſtiúsque, *Bellarminus*, (t) *communionem* illic negatam, intellexit de veniâ & reconciliatione cum Eccleſiâ, quam à peccatis in foro interno nunquam negavit Eccleſiaſtica diſciplina rigidior, ut videbimus. Suppoſito igitur, (cum *Alexandro Natali*, Tom. 6. pag. 667. 679. & 687. & aliis, utiliſſimos & diſciplinæ Eccleſiaſticæ illius temporis valde conſonos Canones ipſius probantibus) Synodum *Elibertinam* negandam *in fine Communionem Euchariſticam* decreviſſe, Can. 1., ei, qui poſt baptiſmum idolatraverit; Can. 2., Sacerdotibus, præter moechiam, idololatris; Can. 6., malefico, qui Diabolum coluiſ-

(q) Nicol. Comn. Reſp. 5. myſtagog. Sect. 4. n. 8. pag. 315. (r) Niſſen. in vit. S. Macrinæ. (s) Hieron. in vit. S. Paulæ. (t) Tom. 2. Controv. 4. lib. 2. cap. 9.

coluisset; Can. 7., relapsis, post pœnitentiam primæ, in secundam moechiam; Can. 8., fœminis, quæ alteri nupserint marito superstite; Can. 12., Parentibus, pro filiis, lenocinium exercentibus; Can. 17., nubentibus filias cum Idolorum Sacerdotibus; Can. 18., Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, in ministerio, scandalose moechantibus; Can. 63., filios ex adulterio conceptos occidentibus; Can. 65., Clericis moechari uxores facientibus, vel moechantes non relinquentibus; Can. 66., privignas in uxores ducentibus; Can. 71., puerorum stupratoribus; &, Can. 75., falsô accusantibus Episcopos, & Presbyteros, horum crimina probare impotentibus: Non negabo *Comneno* fuisse Patrum illorum *rigidissimam severitatem*; sed nec concedam ab aliis Synodis *reprobatam*, etsi aliter fiendum postea senserint: fateborque in Græciâ, & Oriente, benigniùs semper datum *Viaticum*, quin Patres reprobaverint, aut mentionem fecerint moris Latinorum, *rigidiùs*, sceleratissimis, in fine vitæ Communionem negantium; mitioraque postea jura circa hoc statuentium. Nam Synodus *Ancyrana* (si *Caranza* fidelis est Author) habita Anno 308. in *Ancyra* urbe *Galatiæ* (aliàs *Gallogræciæ*) ad Latinos nîl attinebat; *Nicena* verò, dato, quod per *viaticum necessarium*, Eucharistiam dandam explicet, (de quo est lis inter *Canonistas*, quorum plures pœnitentiam Sacramentalem intelligunt, apud *Petrum Annatum* Tom. 2. lib. 5. sect. 3. art. 2. not. 7. pag. 35. & *Bellarminum* supracitatum:) morem tamen Latinorum non increpavit, ut videbimus ex *Innocentio I.* Aliæ Synodi sunt valde posteriores. Eucharistiam, *in voto*, necessariam *simpliciter*, *necessitate medii*, ad salutem, (u) docemus omnes Catholici: *in re* autem suscipi, *necessarium* (x) adultis *necessitate præcepti*, nedum *Ecclesiastici*, sed

(u) S. Th. 3. p. qu. 73. art. 3. (x) Idem qu. 80. art. 11.

sed & *Divini*, (Joan. 6. 54. & Tridentinum ses. 13. cap. 3.) Cum tamen Christus, salvâ Sacramentorum substantiâ, plenariam potestatem in istorum administratione Ecclesiæ contulerit; potuit ista, & adhuc posset, ad horrorem quorundam criminum altiùs animis imprimendum, sacri viatici Communione licitè privare; sicque jure Ecclesiastico usos PP. *Eliberitanæ* Synodi docent (y) Authores non pauci, nec tantum *Hispani*. Nec per hoc dicam fuisse non benè consultũ postea, mitigatâ antiquorum severitate; imò, *Pium V.*, (z) legimus, An. 1569. correxisse consuetudinem Hispanorum, reis morte plectendis Eucharistiam eôusque denegantium: ex quo tempore (a) non excusabuntur plures belli duces apud DEum, qui milites, & alios, in fragranti deprehensos, in proximâ arbore, subitô, absque Communione suspendi jusserunt.

30. Sicut, ergo, injustê dixit (ubi suprà) sapientissimus *Comnenus*, (& certè miror de tanto Viro, in jure, tum Græco, tum Latino, celeberrimo) *Acta septimæ Synodi abrogasse Canonem hunc 36. Elibertinæ*, quo, supponit quasi damnatas ab istâ imagines: æque indebitè addit, *reprobatos prædictos Canones de non dandâ in fine communione*, per alias Synodos. Dixisset *mitigatam severitatem rigidissimam*, & subscriberem: *reprobatam* tamen; ut noscant cuncti quantum deliquerit; audiatur sanctissimus & eruditissimus Romanus Pontifex *Innocentius I.* sanctorum *Hieronymi* & *Augustini* coœtaneus; ab illo (b) mirificê laudatus, in Romanâ Ecclesiâ (c) sanctis annunumeratus, nemini ob sacras sanctiones non celebris. Hic, Epistola ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum, cap. 2. sic

(y) Vide Isambertum ad qu. 80. S. Th. disp. 4. & Abelli Episc. Ruthenensem. Medul-Theol. Tom. 2. Tract. 1. cap. 4. Sect. 9. n. 3. pag. 83. & alios. (z) Wigandt. Tribunal Confessarior. Tract. 12. exam. 4. n. 49. (a) Idem ibid. (b) Hieron. Epist. ad Demetriadem. (c) Breviar. Rom. die 28. Julii.

ſic ſcribit : (d) *Quæſitum eſt , quid de his obſervari oporteat , qui poſt baptiſmum , omni tempore , incontinentiæ voluptatibus deditι, IN EXTREMO FINE VITÆ SUÆ, pœnitentiam ſimul , & reconciliationem COMMUNIONIS expoſcunt. De his , OBSERVATIO PRIOR DURIOR , POSTERIOR , interveniente miſericordià INCLINATIOR eſt. Nam CONSUETUDO PRIOR tenuit, ut concederetur Pœnitentia , ſed COMMUNIO NEGARETUR. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, nê communionis conceſſa facilitas , homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu : NEGATA, MERITO, COMMUNIO EST , CONCESSA POENITENTIA ; nè totum penitùs negaretur; & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem* Eccleſiis *ſuis reddidit , jam depulſo terrore , COMMUNIONEM DARI OBEUNTIBUS placuit , & propter Domini miſericordiam , quaſi VIATICUM PROFECTURIS ; & nè Novatiani hæretici negantis veniam , aſperitatem , & duritiem ſubſequi videamur. Tribuitur , ergo , CUM POENITENTIA , EXTREMA COMMUNIO , ut homines hujusmodi , vel inſupremis ſuis , permittente ſalvatore , à perpetuo exitio vindicentur - -* Hinc corrigendus *Bellarminus , qui , Communionis ,* in Canone *Elibertino* , & *reconciliationis* , in adducto decreto *Innocentii* , nominibus , intellexit *VENIAM* : quam clarê dicitur ſemper fuiſſe datam ; Communionem autem , ſeu ſacrum Viaticum, obeuntibus , antiquitûs denegatum. Parcendumque Clariſſimo Græco *Comneno* , quod *reprobatam* ſcripſerit ſanctiſſimam noſtram *Hiſpanenſium Cathalanam Synodum* , quia , etſi *duriûs* , (ut ait *Innocentius*) *meritô* tamen , *negata Communio eſt , conceſſa pœnitentia* : nec *abrogaſſe* Synodum 7. *Elibertinæ* Canonem *de imaginibus*, ſcripſiſſe debuerat ; ſed definiſſe adorandas iſtas,

U quas

(d) Apud Caranza fol. 91. & apud plures.

quas à Gentilium opprobriis *Elibertina* Synodus Caverat. Ignoſcendum tandem mihi, ex amore Patriæ, quod diffuſiûs, nedum ab Heterodoxis, ſed & ab orthodoxis, Synodum hanc ſartam tectam contenderim. Fuiſſe enim *Illiberis*, *urbem Iberiæ*, (non *Granatam*, ut contendit *Mariana*) nomen ipſum probat, compoſitum ex *Ilion*, (Græcê *Urbs* & inde Latinê *Ilium*) & *Iberis* - - quaſi antiquitûs dicta: *Urbs* in ingreſſu *Iberiæ*. Videatur tamen *Pujades* in Chronicis Cathaloniæ. l. c.

31. Ad S. *Epiphanium* convertendus, cujus, & factum, & Doctrinam, ſimul nobis objecturus (pag. 65.) *Apologiſta* rememorat: Abſit à nobis inſolens ignorantia *Alphonſi de Caſtro* (verbo *Imago*) Sanctiſſimo huic Eccleſiæ Patri tribuentis principium *Iconomachiæ* (quam à Mahumedanis potiûs ortam jam diximus), etſi conati ipſum ab hæreſi liberare, quia tunc non eſſet veritas definita. Semper etenim fuiſſet error graviſſimus *Epiphanii*, à Patribus ſæculi ejusdem (quos jam introduxiſſe in Templa imagines fatentur Lutherani, ut vidimus) ſine dubio taxandus; & ſæculo 8. ab Iconomachis in Synodo 7. objiciendus; quod minimê factum legimus. Neque ab illis, neque ab *Apologiſtâ* memoratur *Epiphanius*, quod (hæreſi. 79.) hæreticos dixerit, quosdam, qui B. Virginis *Mariæ* imaginem colentes, circumferebant: quos, *Collyridianos*, reprobat, & juſtê, quia Dei Matrem habuerunt pro Dea, eidemque ſacrificium offerebant. Sicuti *Iræneus* (lib. 1. cap. 24.) inter errores *Carpocratis*, ponit, quod imagines coleret *Chriſti*, *Petri* & *Pauli*, quas, inter Gentilicas *Homeri*, *Pithagoræ*, *Platonis &c.* ſuperſtitiosê & idololatricê cultas, collocaverat. Citatur igitur Epiſtola *Epiphanii* ad *Joannem* Hyeroſolomitanum Epiſcopum, in quà narrat; ſe ingreſſum in *Eccleſiam* *Anablathen-*

thenſem, ut oraret, aſpexiſſe in velo ad fores pendenti *imaginem depictam, QUASI CHRISTI, VEL SANCTI CUJUSDAM* (irridenda ſtupiditas illius qui corrupit Epiſtolam!) *non enim memini ſatis* (ait.) *cujus imago fuerit. Cum ergo* (proſſequitur) *hoc vidiſſem, in* Eccleſia *Chriſti, contra authoritatem ſcripturarum, hominis pendere imaginem, ſcidi illud &c.* Et infra, promittens pro ſarciendo damno aliud novum velum mittere ait: *præcor*, (Te) *deinceps præcipere, in Eccleſiâ Chriſti, ejusmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non adpendi.* Ruſticiſſimi inter *Lutheranos* ipſos, & vetulæ, Doctorem hunc *Jenenſem* irridebunt, quod laudet S. *Epiphanium*, non *Lutheri*, ſed *Calvini*, *&* *Carolſtadii* Patronum. Ex Epiſtolâ, quam (corruptam adminus) enarrat ipſe, verbísque *Epiphanii* ab ipſo adductis, nec minimum quid inferri valeret adoratam fuiſſe imaginem, ſed in velo foribus Eccleſiæ appenſo depictam: imò, viros illius Eccleſiæ, ut ſcribitur, nihilô duxiſſe laceratam imaginem, ſolùm de veli ſciſurâ conqueſtos, dixiſſe, *murmurantes*: *ſi ſcindere voluerat, juſtum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret. Quod cum audiſſet* (*Epiphanius*) ſe *daturum eſſe, pollicitus eſt*; ſicque ſedata fuit tota conqueſtio. *Apologiſtâ* igitur, qui (pag. 49. 69. & 72.) imagines (non adoratas) in Eccleſiâ ſervandas permittit; qui, & pag. 68. *Circa finem ſæculi 4.*, immagines illatas in Templis lubenter concedens repetit; Quomodo inconſequentiſſimum factum *Epiphanio* impoſitum laudat? Vel *Carolſtadii* diſcipulum ſe dicat, (e) qui, inſcio equidem *Luthero*, primus imagines è Templis in Germaniâ abſtulit, ab iſtoque graviter propterea reprehenſus fuit: Aut *Calvino* (f) ſubſcribat, cum; *inſanire*, garrulat, *eos qui ſimula-*

(e) Cochlæus de dictis & factis Lutheri. (f) Calvin. lib. 1. inſtit. cap. 11. §. 3.

mulachra Dei & sanctorum, exemplo cherubim, defendere conantur: Sive *Helveticorum* incorporetur cœtui, dicentium (g) *reijcimus, non modo gentium idola, sed & Christianorum simulachra*: Qui omnes, (ultra *Orthodoxam* Græcorum & Latinorum damnationem, apud *Tridentinam*, & (h) *Constantinopolitanas*, *Hyerosolimitanamque* Synodos) Lutheranorum omnium meruere censuram.

32. Sed si *Apologistâ* velit Lutheranus persistere, ipsum, non ut *Barcinonensis* Doctor, sed, ut Catechista rusticum, alloquar; (i) verbis è *Catechesi Lutheri* depromptis, *Putasnê*, interrogatur, *citra hunc finem cultus, adorationis, & superstitionis, imagines fieri, & factas tolerari posse? Omninô*, docetur. *Primô, quia cessante fine, cessat & ratio finis. 2o. quia Deus ipse imagines fecit, & alios, ut facerent jussit, & factas toleravit, quod, historiæ & exempla Vet. Test. testantur. 3o. quia, nec Christus, nec Apostoli, easdem in nov. Test., simpliciter uspiâm improbarunt, multô minûs abrogarunt. 4o. Quia IN PRIMITIVA ECCLESIA, IMAGINES, CHRISTI, MARIÆ, CRUCIS, APOSTOLORUM, MARTYRUM, DOCTORUM, PASSIONIS DOMINICÆ, & alias, passim depictas, etiam IN PUBLICIS TEMPLIS, habuerunt.* Quæ, cum *Dietericus*, ex *Sacra. scr., Augustino, Basilio, Chrisostomo, Tertulliano, Nisseno*, & aliis confirmasset, (infra. instit. 40. pag. 71.) addit: *Errant igitur Carolstadiani, qui imagines ex templis deturbant: Vide Lutherum in c. 1. Mich. tom. 4. latinê*, JENÆ, *fol. 534. b. seq. Ubi, NON SOLUM BARBARIEM, SED INSIGNEM QUOQUE INSCIENTIAM judicat, quod in multis locis, etiam Christi, & Apostolorum, imagines, sine discrimine, è Templis ejectæ sint &c.* Hæc Lutheranorum Cateche-

(g) Confessio M'nistror. Eccl. in Helvet. cap. 4. (h) Vid. Pfafium. sæc. 17. de gestis contra *Cirillum Lucarium*. cap. 2. §. 6. pag. 317. 318. (i) Apud Cunradum Dietericum. instit. catechet. 38. de 1. tabula Decal. pag. 69.

techesis. Quæ, quomodo tamen (infr. instit. 41. pag. 72.) ut *Calvinistis* fiat mitior, doceat; *abrogationem*, seu ejectionem *earundem*, esse *rem adiaphoram*, & (adhuc seclusâ adoratione) *Magistratui* politico *liberam*; quam antea, ex *Luthero*, dixerat, *non solum BARBARIEM*, sed INSIGNEM INSCIENTIAM? Querendus erit *Doctor alius JENENSIS*, *Apologistæ* non impar, qui amborum inconsequentias approbet. Mihi sufficit, Lutheranos convincere, qnod teneantur; vel corruptam *Epiphanii* epistolam, nobiscum fateri; vel *Epiphanium* pro hoc facto laudare non posse; vel adorationem imaginum ipsius tempore jam in usu; si somnient, *Epiphanium*, hanc in Ecclesiâ alienâ, voluisse corrigere.

Quia nihilominùs *Apologista*, pag. 67. *rationes justas*, *& prægnantes*, (ait.), ut probemus corruptam epistolam illam, requirit: antequam eas audiat, scire vellem unde *prægnans* ejusdem calamus genuinum *Epiphanii* esse fœtum ostenderit? *Quia* (addit tantùm) *eam Hyeronimus in linguam Latinam transtulit*: & hoc *Apologistam* asseverasse, sufficit. *Parturierunt (Jenæ) montes*; sed obstetricante *Buddeo*, *natus est ridulus mus*. Quare compellit nos iterum sibi *reparturire*, quæ *Baronius*, *Bellarminus*, *Possevinus*, (k) et alii jam ediderunt in lucem? Rationes adferunt: 1. quia S. *Hyeronimus* totam ferê recitans hanc Epiphanii epistolam (in suâ ad *Pamachium*) à se latinê versam; nec tamen hujus scisi veli, ibi, unum memorat verbum. 2. quia *Iconomachi* in Synodo. 7. Epiphanium aliundê pro se producentes, nil tale ex eodem objecerint, quod sine dubio non omisissent. 3. quia *Gregorius M.* (epist. ad *Serenum Massiliensem*, quam infra Apologista (l) citat) non supponeret, ipsum *Serenum*, 33.

U 3 pri-

(k) Vide Petrum Annat. tom. 1. lib. 4. de SS. Eccl. PP. art. 22. de S. Epiphanio. pag. 381. (l) ex lib. 11. indict. 4. epist. 13. pag. 1100.

primum confractorem imaginum, dicens: *dic. frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum, & Sapientem esse crederes?* Quod tamen, si *Epiphanius* à se factum scriptis jactasset, *Gregorium* non latuisset. Quartam addamus: Ecquis tam stupidus, ut *Epiphanium* credat in serio facto illo sic obliviosum, ut; *an Christi, vel sancti cujusdam* imago fuerit, se scribentem dixerit *non satis meminisse?* Nugas istas miscerê non horruit hæreticorum malitia cum doctrinâ sanctorum; sed fœces ita crassæ non extingunt lumen quod hi accenderunt oleo Sapientiæ Divinæ. Legisset *Apologista*, in ipsâ *Epiphanii* editione quam allegat, *Epistolam ad Lectorem, Dionisii Petavii*, in Tom. 2., ibi invenisset: *Ultimi Epiphanii tractatus* (inter quos Epistolam hanc ad Joan. Hyerol. Episc. postremò collocat) -- *suppostitii sunt libri, atque SPVRII* (ecce *prægnans verbum*, quod *Apologista* quærebat) de quibus addit. *Horum, ducit agmen, ille de vita Prophetarum, quem spurium esse, SEXCENTÆ MENDACIORVM NVGÆ persuadent, quibus ille refertus est; quem, velut secutor quidam, Joachimus Zehnerus, excepit, ex ILLA LVTHERANA, & PASTORITIA FOECE, &c.* (Quidni, Lutheranis idem corruptificium in cæteris debeamus?) *Jam orationes illæ* (addit *Petavius*) *quæ* Epiphanii *nomine FVCVM JAM DVDVM FACIVNT, satis, cum stilo ipso, tum aliis quibusdam indiciis, alterius, vel* Epiphanii, *vel* Authoris, *se esse declarant: --* Epiphanios, *enim, fuisse quamplures, Cypri etiam* Episcopos, *observatur.* Alter, *cujus nomine in Syn. 6. Act. 18. subscripsit Theodorus* Episc. *Trimethuntorum; alter, cujus extat* Epistola *ad Ignatium Patriarcham, &c.*

Epi-

Epiphanium, igitur, in aliquo ſibi affiĉto *commentario*, ab hæreticis in Synodo 7. produĉtum; quod pariter *adulterinum* Synodus novit; conſtat (ex (m) Aĉt.6. Tom. 5.) ab omni Iconomachiæ ſuſpicione declaratum & demonſtratum liberrimum; tum, ex hoc quod ipſe, cum omnes hæreſes ſcribens confutaſſet, *procul dubio, & eam poſuiſſet, quæ de imaginibus, ab iſtis* (Iconomachis) *fertur, ſi alienam à Chriſti religione hanc exiſtimaſſet.* Tum quia, omnes SS.PP. illius ævi, quos tum Græcos, tum Latinos exprimit, opus *Epiphanio* impoſitum *non agnoverunt.* Unde *Synodus* concludit: *Apagê cum iſtâ impiâ, & intolerabili editione. Neque, hic, linguas ſuas acuant, & exerceant, vaniloqui iſti accuſatores recte ſentientium; quaſi illi qui antiquam* Eccleſiæ *traditionem recipiunt, Beato Epiphanio adverſentur. Nequaquam; Commentarium enim illud rejicimus; Beatum autem Patrem Catholicæ Eccleſiæ Doctorem cognoſcimus.* Nîl ad nos; ſi Lutheranis, *non prægnantes*, videantur rationes adductæ: *juſtæ* adminus erunt in *Epiphanii* corrupticolas allatæ cenſuræ, quibus inuruntur *Iconomachi* antiqui, & plus, noviſſimi. 34.

Jam, *Gregorium I. M.*, addit *Apologiſta*, ex duplici, ad *Serenum* Maſſilienſium Epiſcopum directâ Epiſtolâ, *Iconomachis* eum favere, contendens. Gaudendum, quod, contra invocationem ſanctorum, hunc, Lutherani non producant; qui (n) *Breviarium Romanum* (cum ſanctorum officiis) in ordinem redegit; qui, in *Canonæ Miſſæ*, ad orationem: *Libera nos - - intercedente B. Virgine, cum Beatis Apoſtolis tuis, Petro, & Paulo*; addidit: (o) *atque B. Andreâ* (cui propenſiſſimus, Romæ, in propriis ædibus, Eccleſiam & Monaſterium ædificaverat,) *& omnibus* 35.

(m) Vid. Caranza fol. m. 252. 253. (n) Hiſtorici cuncti in ejus vitâ; noviſſime, *Burius* in Rom. Pont. notitia. (o) Idem ibid. ad Gregor. I.

bus Sanctis; qui, festum (p) *Commemorationis S.Pauli*, die 30. Junii, instituit; nè Pontifex, sicut antea, eâdem die 29. teneretur, utrâque in *Basilicâ* (mutuò valdè distanti) *Petri* & *Pauli*, quibus commune est festum, munia Pontificalia exercere; qui, (q) *Litanias majores, & minores,* (quæ, in Dei, Sanctorúmque omnium invocatione consistunt) singulis Annis fieri decrevit; qúique, quamplurima in sanctorum cultum confirmandum scripsit. Hunc ergo, ex eo quod, *Serenum*, quia sacras imagines fregerat, correxerit, adorationémque superstitiosam vitandam docuerit, *Iconomachis* favisse *Apologista* (pag. 68. sequ.) putat; cum, *zelum intempestivum Sereni confrigentis imagines reprehendat*; quod tamen eas adorari, aut coli noluerit, laudet. Tædet jam, ad cunctas *Apologistæ* fraudes aperiendas, *Lutheranos* Authores, quos sibi objiciamus, revolvere; siquidem cunctos rejecturus erat, qui *Gregorium* tueantur, Orthodoxos. Audiatur tamen ipsis celeberrimus *Krommaierus:* (r) *Sæculum præsens* (ait de sexto) *quod concernit; non tantum abrogatâ doctrinâ Catecheticâ, imagines, Laicorum Biblia, à* GREGORIO *M. FUERE SUBSTITUTÆ: Sed &* (quod infra explicans, addit): (s) *quod, circa initium, ulcus tetigimus, Ecclesiam, variis ceremoniis & traditionibus humanis*, (Gregorius M.) *obruit.* (Qualibus? ecce:) *luminaria cultui Divino adjecit; in peragendis sacris, splendido Ministros ornatu induit; jejunia auxit; Missas pro defunctis introduxit; Purgatorium ignem insufflavit; cœlibatum Ministrorum, quantum in se fuit, propugnavit; INVOCATIONEM SANCTORUM; & IMAGINUM CULTUM IDOLOLATRICUM* (Orthodoxè Religiosum) *APPROBAVIT & DEFENDIT.* Cuinam, heu!

(p) Idem ibid. & in *Onomasticon.* v. *Commeratio.* ex *Micrologo.* cap. 42. & *Prudentio.* himno 12. de SS.Petr. & Paul. (q) Idem *Onomast.* v. *Litaniæ.* (r) Cent. 6. pag. 319. (s) Ibid. pag. 321.

heu! ex *Lutheranis* credemus? Quem Doctor *Lipsiensis* Centuriator plangit *Iconolatram*; eundem *Apologistæ Jenensis* Iconomachum prodit? Uterque mendax; neutri fidendum. Correxit *Gregorius*, *Severum*, quod imagines fregerit; Cavit nè adoratio indebita eisdem daretur solius Dei propria: laudat quod adorari sine respectu ad objecta significata *Serenus* non siverit, sicque ait sibi: (t) *adorari vero imagines, modis omnibus veta*; non quod *modis omnibus adorari*, vetetur; sed malè adorari *vetatur omnibus modis*; solumque, *ex visione rei gestæ, ardorem compunctionis percipiant* fideles, *& in adoratione* (supremâ) *solius omnipotentis Sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur*: unde in alia Epistola, sibi fiendum consulit: (u) *ut populus, in adoratione picturæ* (quam fieri non prohibet) *minimè peccaret*. Medium intendit *Gregorius*, ut religiosè, sed sine peccato, detestatâ *Sereni* Iconomachiâ, venerarentur imagines, cultis objectis in ipsis; quomodo fiendum, suprà explicavimus. Hoc modo, ipse *Gregorius*, ad Religiosissimos viros, *Januarium Calaritanum* Episc., & ad *Secundinum*, mentem suam aperit, ne Lutherani ipsius verba detorqueant. Ad illum (x) jubens, ut crucem, & B. V. imaginem, ex Synagoga Judeorum extrahat; *his hortamur affatibus, ut sublatâ exinde, CUM EA, QUA DIGNUM EST, VENERATIONE, imagine, atque Cruce, debeatis, quod violenter ablatum est reformare*. Eypressiusque, *Secundino* imagines remittens, quas petierat: (y) *imagines, quas, tibi dirigendas per Dulcidum Diaconum rogasti, misimus. Unde, valde nobis tua postulatio placuit; quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras - - Scio quidem, quod imaginem Salvatoris nostri non*

X ideò

(t) Lib. 11. Epist. Indict. 4. Epist. 13. (u) Lib. 9. Indict. 2. Epist. 105. (x) Lib. 7. epist. 5. (y) Lib. 7. epist. 54.

ideô petis, ut QUASI DEUM COLAS (ecce errorem, quem ad *Serenum* ſcribens caverat) *ſed ob recordationem Filii Dei, in ejus amore incaleſcas, cujus, te imaginem videre deſideras. Et nos quidem, non quaſi ante Divinitatem ante illam proſternimur, ſed ILLUM ADORAMUS, quem PER IMAGINEM, aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem, recordamur. Et dum nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura, ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Ideoque, direximus tibi ſurtarias duas, imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli continentes, & unam Crucem, clavem etiam pro benedictione à ſanctiſſimo corpore Petri Apoſtolorum Principis, ut per ipſum à maligno defenſus permaneas, cujus ſigno munitum te eſſe credis.* Ita ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor explicat, vitari idololatriam omnem, adoratis objectis in ſacris imaginibus memoratis; item nedûm Salvatoris, ſed Sanctorum imagines quoque, venerabiles, ſicut ipſos, eſſe; & ita, ex contactu *clavis* ad *S. Petri* ſepulchrum, oſtendit religiosê ipſam habendam; ſperandumque à Deo, per imagines, & reliquias Sanctorum, non parum *ſalutaris muniminis.*

36. Tandem, rejecturus *Apologiſta* (à pag. 70) ſacram Synodum *Nicœnam. 2.* Oecumenicam 7., quâ, adamuſsîm diſcuſſum dogma de adorandis imaginibus ſtabilitur: ad conciliabulum ſub *Conſtantino Copronimo;* & Synodum ferê inauditam *Francofurdienſem*, fictosque Chriſtianiſſimi *Caroli Magni* libros vulgo *Carolinos*, contra imagines, ptovocavit. Satis, Sinodus Oecumenica 7., antecedens conciliabulum illud exploſit; ſicut *Adrianus* 1. libros illos *Caroli M.* nomine publicatos. Idem hîc eve-

evenit *Iconomachis*, quod quondam factum legimus ab *Arianis*. Reiciebant hi Synodum *Nicœnam 1.* plures alios hæreticorum cœtus opponentes: (z) *Cæsareæ* & *Tyri*, an. 335.; *Antiochenum*. 2. anno 341. *Tertium*, an. 345., *Syrmiensem* 3. & 4. an. 352., unam *Ariminensem*, ob quam *ingemuit* (ait *Hyeronimus*) *orbis terrarum*, *& se Arianum esse miratus est*; & alias: sicut *Eutychiani*, respuunt Oecumenicam quartam Synodum *Chalcedonensem*, huic, præcedens Conciliabulum *Ephesinum* ab ipsis habitum opponentes. Solum in hoc, Lutherani Arianos excedunt; quod post Nicænam Synodum, isti, *Filium genitum non factum* concedentes; *consubstantialem* tamen & *Omousion*, tanquam vocem in scripturâ non habitam, negantes, *Semi*: *Ariani* sunt dicti. *Lutherani* verô, ultra *Iconum*, *Sanctorum* cultum quoque respuentes, non *Semi-Iconomachi*, sed *Sanct-Iconomachi* apellandi sunt. Nullam, ex oppositis per hæreticos Synodis, œcumenicam esse, etsi aliqua abusivê dicatur Generalis, docemus (a) Catholici; (tenenturque *Lutherani Arianis* obiicere) *Generale* siquidem Concilium erit, concurrentibus, aut saltem vocatis ex toto terrarum orbe Episcopis; *Oecumenicum* vero non erit, nisi à tota Ecclesia, sit ut tale receptum; quod nec *Ariani*, nec *Iconomachi* dicent, quorum Synodos semper rejecit Ecclesia. Immô *Constantinopolitanas*, pro *Iconomachis*, nullum habuisse Patriarcham, adhuc Orientalem; præter Catholicos authores, fatentur *Centuriatores* (b) *Magdeburgenses*; licet in secunda, sub *Copronimo* anno. 755., ejecto vero Patriarchâ *Germano*, alius ab eisdem hæreticis suffectus fuerit. Sicut ergo constanter Ecclesia Synodum *Nicenam* retinuit, derogatis Arianorum cœtibus; & *Chalcedonensem*, re-

(z) Vide Pfafium cit. sæc. 4. cap. 5. §. 2. pag. 89. 90. (a) Vide Petr. Annatum. tom. 2. lib. 5. sect. 1. art. 1. pag. 5. (b) Cent. 8. cap. 9. col. 551.

rejectâ *LATROCINALI* (c) *Ephesinâ* : ita anathematizatâ illâ Pseudoseptimâ sub *Copronimo* , veram septimam *Nicænam 2.*, ejusque Acta, tam in Oriente, quam in Occidente, per tot sæcula conservavit; damnatis, etsi frœnum mordentibus, in Græciâ, *Bogomilis*, in Synodis (d) Const-Planis duobus, 1143. & 1147.; apud Latinos, *Waldensibus*, (e) in Synonis *Oxoniensi* 1160., & *Lateranensi* 3. an. 1179.; & post *Wiclew*, *Pragensem*, *Huss*, & alios; *Luthero*, *Calvino*, *Carolstadio*, ceterisque, eâdem hæresis tabe fugandâ, ab Ecclesia proscriptis in *Tridentinâ*.

37. Mirandum tamen est, Lutheranos homines, Synodos has Constantinopolitanas ac Francofurdiensem, librosque *Carolinos* vocatos, producere; in quibus, sanctos colendos, & invocandos esse; meritum bonorum operũ, & alia contra ipsos definiuntur; sicut (præter pseudoseptimæ Canones 15. 17. & 18, quos inseruit *Nicæna* Synodus sequens, Act. 6.) tradunt citati *Centuriatores Magdeburgenses*. Iconomachos, si mansissent in Græcia, Synodos hasce allegare, nil mirum esset; sed pudeat Lutheranos ad illas recurrere, quæ ipsi in pluribus præcipuis dogmatibus, damnant. Similiter, fictis illis libris *Caroli* confunduntur, quos plura à *Lutheranis* rejecta dogmata confirmare detexit *Bellarminus*; (g) probantes, reijciendam esse Synodum *Nicenam 2.*, quia sine authoritate Romani Pontificis congregata fuerit; ad quem (scribunt) pertinere, controversiarum (si oriantur) in fide, judicia: in quo, & mendacium deprehenditur; tum facti, ex litteris *Adriani 1.* ad Synodum, quas *receptas* & *acceptatas*, (h) proferunt P. P. (Actione. 2.) tum

(c) Apud Lutheran. *Pfasium* sæc. 5. cap. 4. §. 4. pag. 116. (d) Idem sæc. 12. cap. 3. §. 1. & 3. (e) Idem ibid. (f) Annatus. cit. lib. 5. sect. 3. art. 12. pag. 98. (g) Tom. 2. controv. 4. lib. 2. cap. 14. (h) Caranza. fol. 216. & Annatus ubi supra. art. 8. pag. 73.

tum ex Legatis (i) *Adriani*, *Petro Archi-Præsbitero*, & *Petro Monacho Abbate S. Sabæ*, *Tharasium* Cœterosque Synodi Patres bis siscitatis num litteras Adriani *reciperent*, quibus respondentibus, *suscipimus*, *sequimur probamus &c.* resolvitur *Actio 2.* Synodica; tum ex subscriptione Legatorum, ordine primorum, in fine Synodi: jura quoque Romani Pontificis, ibidem asserta, Lutheranis non favent, qui cuncta illius judicia, immô & totius Ecclesiæ, spernunt. Pro Synodo *Francofurdiensi*, quamvis ab authoribus paucis memoretur; nec *Caranza*, inter consilia approbata quæ collegit, eandem nominet, aliquid addam. Tantam lego Prælatorum illorum in Germaniâ (licet quodam zelo motam) levitatem; ut, nec spectatis (Synodorum in Græciâ, maximê *Nicænæ 2.* septennio antehabitæ) exemplaribus, contra id quod de ipsâ audierant (sine dubio ab Iconomachis) tulêre judicium. Audiantur (Canone 2.) (k) *Allata est in medium questio DE NOVA GRÆCORUM SYNODO, in quâ scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, itaut DEIFICÆ TRINITATI, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur: qui suprasanctissimi Patres nostri* (ideſt sancti,) *omnimodis adorationem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Hinc, eos errore facti deceptos evincit *Annatus*; sed ego dicerem precipitanter decernere. Certê Iconomachi post Synodum. 7., hanc indebitæ adorationis notam imposuerunt Orthodoxis; sicut, post *Tridentinam* clarissimê explicantem adorationum gradus, caventemque, (l) *ut omnis superstitio, in sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu, tollatur*, obgannire non desistunt, dari à nobis, Sanctis, & horum imaginibus, *adorationem soli Deo debi-*

(i) Idem ibidem. (k) Apud Petr. Annatum ubi supra, pag. 78. (l) Sessione 25. decreto de invoc. & venerat. S. S.

debitam: contrâ quod, licet cuncti protestemur contrariũ, quidquã intelligere, imò audire nolunt. Causâ autem non melius discussâ, contra Synodum resolvisse Patres Francofurdienses, supponentes factum falsissimum, à levitatis gravissimæ notâ salvari nequit. Tantum autem abest, nê Francofurdienses PP. Lutheranis faveant, quantum deest adorationi quam damus sanctis, & imaginibus, ne sit *Latria* soli Deo debita, quam aliis, nisi Deo, datam reijcimus omnes, sicut allatæ Synodi Patres. Nec nisi stupidis suadere tentent *Lutherani*, contra imaginum cultum decreturam Synodum, cui præfuisse (m) legimus Legatos Papæ *Adriani I.*, qui *Nicenam* Synodum adunaverat & confirmaverat, cujus responsum habetur ad libros *Caroli* nomine ab Iconomachis evulgatos. Quod si daremus, dictis non obstantibus, *Francofurdiensem* synodum contra Orthodoxos decrevisse; quid contra Synodum Oecumenicam, particularis quædam, etsi dicatur Episcoporum plurium, cujus confirmationis, sive à Pontifice, sive ab Ecclesia in Concilio generali aliquo datam, nemo meminit? Imò refutatio librorum *Carolinorum* ab Adriano I. emanata, pariter Synodum oppositam reprobaret.

14. Ut igitur noscant Lutherani, quam vanê, ad renovandam Iconomachiam in Græcia desudent, & plus in Russiâ, ubi (Deo gratias) Turcas adjutores non habent sicut in Græcia, pro rejiciendis Iconibus: narrabo (permittatur tandem) mirificum Dei opus, mediâ B. Virgine in imagine cultâ & invocatâ; quo patebit, plusquam Lutherani destruant scriptis, Deum, Ecclesiam ædificare miraculis. Devenerat, anno currentis sæculi 13., ad Maximum Monasterium SS. Trinitatis (vulgo *Troitza*)

(m) Vide *Arsdekin.* tom. I. Theol. tit. quest. reliquæ de Conciliis, *§.* 3. artit. 4. pag. m. 86.

Troitza) Sexaginta miliaribus (Ruthenice *VORSTS*) verſus ſeptentrionem, è Moskuâ diſſitum, ſeptennis puer miſerrimus, *Coſmas* nomine, brachiis retrorſum inflexis, manibus ad os ſacrum junctis, digitis utriusque, invicem complicatis, itaut, nec per vim, ſine fractione disjungi poſſent. Recepit eum Religioſa Monachorum charitas, ut in (*Bolnicha*) Infirmorum loco, cum ægrotis cœteris, aleretur. Didicit hic in adoleſcentiâ, legere, decurſuque temporis idoneus, receptus eſt ad numerum Lectorum Eccleſiæ. Fuerat circa Infirmariam, jam ab antiquo, locata Imago B. Virginis *ad lapidem inciſa*, nomineque Smolenskenſis Imaginis venerata, quam, pridem, Monachus quidam exteriûs occluſerat, nê populum à concurſu ad Eccleſiam diverteret. Crevit, Juvenis, cum ætate, devotio; quâ Beatiſſimæ Virginis Patrocinio, ſanandum ſe credens, occludi imaginem illam, cui ſalutandæ inclinabatur, ægrê ferebat; illi tamen continuô præces fundere non deſtitit, optans, propriis manibùs operimentum deſtruhere quod alius miſerat. Poſt annos 17., quibus, ab omnibus notus, impedimento manuum laboraverat (*menſe Julii decurrentis anni*) dum (*Icoſſi*, ſcilicet, *Acathisſtos*) Laudes B. V. ſecundum *Alphabetum Græcum*, in Eccleſia caneret, ſibi viſum eſt vocem audire dicentem: Eja Coſma! preces tuæ exauditæ ſunt, ut curationis recipias gratiam: Cumque, ex hoc, aliquid ſentiret in digitis, advocavit adſtantes, quibus, quid audiſſet & ſentiret, retulit. Videntibus igitur cunctis, cœperunt digiti disjungi; inde, brachium ſiniſtrum in naturalem ſitum & motum veniens poterat ſolitum ſignum crucis, à capite ad pectus & humeros, formare; ſed ut ſenſibiliûs videretur manus Domini, manſit adhûc per plures dies, *Coſmæ*, immobilis dextera. Paulatim, ut vulgaretur ampliùs, hæc quoque uſui reſti-

ſtituitur, itaut cuncti qui eum inhabilem ad hæc noverant, ambidextrum, ad ſolutê formanda Crucis ſigna jam videant. Opus eſſe illius, qui, in mundo converſatus, (n) *extendi* juſſit hominis *manum aridam*, fatemur, cum ſanato hoc viro, cuncti. Sed ipſe qui facultatem (o) *piſcinæ probaticæ* contulerat, *Jeroſolimis*, ut *multitudini claudorum*, *cœcorum*, & *ARIDORUM*, *motâ per Angelum aquâ*, ſuccurreret; ligatas manus non habet, ut, intercedente nunc *Angelorum Reginâ*, miſeris æquê ſubveniat. Et, ſicut illi qui, (q) *claudū ex utero Matris in ſpatioſâ portâ templi* annis pluribus viderant, ſanatum tamen *per Petrum*, *in Jeſu Chriſti nomine*, mirabantur; ita, cum illo, *Coſmas* hic, *laudans Deum*, nos invitat, ut nêdum *intendamus in Petrum*, ſed & in Beatiſſimam Apoſtolorum Reginam; quæ, virtute præſens & in imaginibus culta, Dei movet miſericordiam, de cujus beneficiis gratulemur. - Nec non valde notandum; quod, ſimul ac opus *Apologiſtæ* contra imagines evulgatum eſt *Moskuæ*; miraculo iſto, potius quam humanis calamis, Deus illud everterit.

SECTIO V.

VIX, opuſculum proſſequi, infirmitas in me bimeſtris diſtulerat; cum ecce, inopinatus hinc diſceſſus cum Domino meo Legato, mihi inſinuatus, ſupervenit. Sed, ut amicis hoc ſiſcitatis, & piis Ruthenis viris non paucis, ſatisfacere oſtendam; quantum dierum permittat preſciſio, brevi calamo (extenſurus forſitan quando ſi tandem quies aliqua in terris mihi concedatur) reſponſum iſtud ad finem perducere non deſiſtam.

Bre-

(n) Matth. 12. 10. 13. (o) Joan. 10. (p) Act. 3.

Breviorem quoque, *Apologista*, (à pag. 75. ad 88.) 1. contra sacras Traditiones exercuit pugnam; citiùs quoque celebremus à vera fide reportatam victoriam. Nullus *lapis lydius*, inter sacros Ecclesiam stabilientes, vivaciùs etherodoxiam detexit unquam, quam *Divinarum Traditionum* examen adhibitum. Cuncti, ante Moysen scribentem, fideles, *scripto verbo Dei* carentes, nullam certitudine Divinâ credendam veritatem novissent, si rejectis *Traditionibus* à majoribus ad posteros propagatis, ad scripturam provocare debuerint: Pauci siquidem erant quibus loquebatur Deus, & per quos fides in Christum futurum diffundebatur ad cœteros. Quod argumentum hæretici qui conantur eludere, ita ineptiunt; ut Deum mutum videantur credere, ex quo incepit datam legem *Moysi* in tabulis scribere. Cœperunt ergo (ex his quos legimus) *Sadducei*, ut suos errores tuerentur, solâ lege Moysis scriptâ retentâ, (teste (a) *Iosepho*) *Patrum Traditiones rejicere*, dicentes, *sola ea quæ scripta essent valere, non scripta vero nullius auctoritatis esse. Arianos, & semi-Arianos*, ad negandum *Omousion* Filio Dei (juxta omnes SS. PP., qui contra ipsos surrexerunt) ad scripturas provocasse, in quibus nusquam legeretur talis dictio, *Traditione* rejectâ, nemo ignorat. *Macedonianos* & *Eunomianos*, de eodem accusant (b) *Basilius* & (c) *Athanasius*; *Nestorianos*, (d) Cyrilus; *Euthichen*, (e) *Mameas*; *Lutheranos* & *Calvinistas*, ipsa eorundem soboles, repetitis, hic, ab *Apologistâ*, mutuatis ipsorum blasphemiis. Sicut ergo, à *Nicœna*, cœterisque Sacris Consiliis, antiqui; ita à *Tridentino* (ses. 4.) proscribuntur novi inter Latinos hæretici: *cum hæc veritas, & disciplina* (Christi) *libris*

(a) Josephus lib. 3. antiq. cap. 18. (b) Basil. lib. 1. contr. Eunomium, & lib. de Sp. S. cap. 25. (c) Athan. lib. 3. de Trin. (d) Acta Ephesin. Synodi (e) Consil. Chalcedon. act. 1.

libris scriptis, & Traditionibus sine scripto, contineatur; quæ Traditiones, ex ipsius ore, ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt; Orthodoxorum PP. exempla sequuta; (S. Synodus) *Omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, (cum utriusque unus Deus sit author) nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenùs, à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continuà successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, PARI PIETATIS AFFECTU AC REVERENTIA, Suscipit, ac veneratur* - - Justissimê igitur, contra *Lutherum, Javoskius* intulit, quod plangens *Apologistâ* commemorat: *Verba Christi: abrogastis præcepta Divina, per Traditiones vestras, Luthero, lapis offensionis fuerunt, inde rejecit Traditiones:* constanter enim (f) Orthodoxa Ecclesia Orientalis, (cum Occidentali) fatetur: *gemina Ecclesiæ dogmata, alia divinis sacræ scripturæ libris comprehensa; alia vivâ voce ab Apostolis tradita* - - - *binisque hisce fundamentis fides superstructa extat.*

2. Incipiens itaque *Apologista*, certamen init (pag. 76.) Lutherano motu solito, ex Apostolo (*Ephes.* 2. 20.) *Fundatam*, scribente, *Ecclesiam* supra fundamentum *Apostolorum* & *Prophetarum* - - Et ex Jesu Christo, *scrutandas scripturas, de seipso testimonium perhibentes* (Joan. 5. 39.) *audiendosque Moysen & Prophetas* (Luc. 16. 29.) prædicante. Sed vana hæcce Lutheranæ pugnæ torneamenta delusêre omnes ante *Javorskium*. Ubi enim profertur exclusiva dictio in sacris litteris jubens *solas* scripturas scrutandas; aut *Moysen* & *Prophetas*, solûm, *legendos*; non (per alios) *loquutos* audire eosdem, quibus dixit Christus per *Lucam* (cap. 10. 16.) *qui vos audit, me audit?* Quis Catholicorum *Verbum Dei scriptum* lege-

(f) Confes. Orthod. Eccl. Orient. part. 1. qu. 4. pag. 18.

legere refugit? Sed quid hinc, ut *verbum Dei* pariter *verbo revelatum*, non audiendum Lutheranus inferat? Si (quod Deus avertat) arte à *Luthero* traditâ, pro illius tuendâ pecude, loco *Apologistæ* pugnaturus essem; nil responsurum me fateor; si *Jobi* uxor (g) *quasi unam ex stultis mulierbus*, *se loqui* audiens; aut si Apostoli, justê (h) *visa ante eos quasi deliramenta verba mulierum* resurrexisse jam Christum nuntiantium, contenderent; mihi subadderent: etsi Deo revelante, dicant se, tum *Job*, tum sanctæ illæ fœminæ, loqui; non credimus, quia *verbum* istud *Dei, scriptum* non videmus. Similiter primi Apostolorum auditores assumpto in Cœlum Christo, veritates Evangelicas, *nuntiatas* quia (nisi post annos plures) *non scriptas*, respuentes, sine culpâ (i) *increduli vocarentur*; etsi tradentes eas Apostolos persequuti: impropriéque loquutus (*Lutheranorum* censurâ) damnaretur Apostolus, scribens: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*: cum *verbum auditum Dei* si scriptum non fuerit non sit certum. Potiùs increpandi sunt isti scripta *necessariò* quærentes pro credendo Dei verbo; quam illa, à *Christo* vocata, (k) *generatio mala, & adultera*, quæ ut crederet, *Videre signum à Christo quærebat*. Et, nê dicatur argumentum hoc à me inventum; audiatur *Iræneus*, qui sæculo 2. hæc scripsit (l): *Quid autem si Apostoli neque quidem scripturas reliquissent nobis? Nonne opportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus comittebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine chartâ & attramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.* Quæ, verbo tantum, tem-

(g) Job. 2. 10. (h) Luc. 24. 11. (i) Act. 14. 2. (k) Matth. 12. 39.
(l) Irenæus. lib. 3. cap. 4.

tempore *Irenæi* pluribus communicata Ecclesiis, esse, ultra ea quæ scriptis sacris expressa sunt, plura alia, infra cum eodem *Irenæo* videbimus. Satis nunc inferetur, quod *verbo Dei, non scripto* etsi, credere debeant Christiani; cui etiam Judeos credidisse infra patebit.

3. *Traditione* Ecclesiæ haberi, has sacrorum Bibliorum scripturas esse Verbum Dei ab Apostolis & Prophetis expressum, nec Lutherani negare jam audent: etsi enim dicatur in scripturâ, (m) *Deum loquutum fuisse Patribus & Prophetis*; hoc tamen scripsisse *Paulum* sicut Prophetas repetentes - - *loquutus est Deus* - - *Dixitque Deus &c.* certò non sciremus, nisi Ecclesiæ Traditione, constanter servatos libros illos Prophetarum & Apostolorum nomine crederemus. Non Video, ergo, qualis à cordato viro danda sit ratio; quare hàc ad scripturarum ipsarum fidem Traditione necessariô suppositâ, quam ab Apostolis ad Nos soli debemus Ecclesiæ; non credi debeant quoque cœtera quæ ab Apostolis æquê recepisse testatur eadem. Quam enim fallere, dicent *Lutherani*, in proponendâ re quadam credendâ; cur, in proponendis his numero sacris libris, pariter non dicent fallibilem? Sed de hoc, quia egere jam plures; nec *Apologistâ* aut alius potuit hanc rationem infringere; dicamus nil ampliùs. Videatur inter alios, (n) *Bellarminus.*

4. Tertio jam motu arma parans, dicit *Apologista* nil novi. Christum obijcit, contra *Phariseos* loquentem; (o) *in vanum Deum colere, docentes doctrinas & præcepta hominum* (Quid hîc, quæso, contra nos, asserentes, *Traditiones Ecclesiæ*, esse *verbum Divinũ*?) Item obijcit: *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditiones VESTRAS servetis.* (Quidvê isthîc contra docentes, *Traditiones*, non *No-*

(n) Tom. 1. lib. 4. de Verbo Dei non scripta. (o) Marc. 7. á v. 6.

Nostras, sed *Christi* per quondam loquentes Apostolos?) Dixi nil attulisse *Apologistam* novæ cujusdam artis in pugnâ: fuisse quippe hæc verba *lapidem offensionis*, quo calcato ruit *Lutherus*, jam vidit *Javorskius*. Et quid *Lutherus*? Antiquiorem Lutheranæ hujus pugnæ Magistrũ, in *Maximino Ariano*, detexit & devicit jam *Augustinus*: (p) *hæ voces* (ajebat ille) *quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiantur, cum Dominus moneat, & dicat: sine causâ me colunt, docentes doctrinas, & mandata hominum.* (q) Vituperasse *Christum*, in *Pharisæis*, Traditiones cum Verbo Dei scripto pugnantes, v. g. illã de (r) non honorandis Parentibus, fatetur *Apologista* (pag. 78.): aliæ autem quas ibidem Christus increpat, etsi viderentur de re indifferenti, & Mosaicæ legi non oppositæ, sicut ablutiones *urceorum & calicum*, *& alia his similia*, in duobus vitiabantur; tum quia veluti Traditiones Divinæ divulgabantur, ab his qui Dei revelationibus indigni erant: tum quia, curabant Pharisæi istas adimpleri minutias, veræ Divinæ legis neglectâ observantiâ. Unde, *irrita facientes præcepta Dei*: redarguuntur, pro primis; & *relinquentes mandatum Dei*, pro secundis. Hocque explicuit *Christus* ipse, (s) alibi, dicens ipsis: *duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes: Væ vobis - - quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intûs autem pleni estis rapinâ, & immunditiâ.* Corrigendi essent, igitur, similiter Christiani, qui Traditione servatâ, adhuc Divinâ, legem Christi scriptam omitterent, qui procul dubio peccarent. Absit autem, ut Traditiones Ecclesiæ Christi, Verbo Dei scripto dicantur oppositæ: sicut enim apparentem verarum scripturarum dissonantiam, inda-

 gato

(p) Aug. lib. 1. contr. Maximin. Arianum. (q) Verba hæc citantur à *Jodoco* in suo thesauro Catholico. tom. 1. lib. 6. art. 32. (r) Marci 7. 10. (s) Math. 23. 24.

gato vero earum ſenſu, concordamus; quia, veritati veritas nequit opponi: ita, contrarietatem quam in ſacris Traditionibus cum verbo Dei ſcripto conatur ſomniare *Lutherana* malitia; Eccleſia, & ſacri Doctores pleniſſimè diſſolverunt. Sit exemplum. *Arius*, ut negaret *conſubſtantialitatem* Filii intelligendam in Chriſti verbis (t) *ego & Pater unum ſumus*; alia ejusdẽ appoſuit: (u) *Pater major me eſt*. Uſque alia omittã. Quis negabit, dicturum *Arium*, ſi vixiſſet, ſolidius fundamentum quæſiiſſe, quam poſtea *Lutherum*: ille ſiquidẽ, verbo Dei *ſcripto* verbum Dei *ſcriptum* oppoſuit: iſte autem, multiplici verbo Dei *Tradito* impugnando, non aliud *ſcriptum*, non *traditum* adduxit; negativo argumento uſus, quod ſcilicet *ſcriptum* verbum Dei non eſſet. Inde, jejunia (e. g.) rejecit determinata, & plura alia. Verum ſenſum Scripturarum, quando *Lutherani* verbum Dei *ſcriptum* de non adorandis ſculptilibus producunt (idola ſcilicet deteſtanda eſſe) cũ verbo *tradito* de adorandis imaginibus non pugnare, demonſtravit Eccleſia: ſicut antea ſatisfecerat Arianorũ objectis. Deo deinde comittendum, ſi Lutherani amplius recalcitrant. Nec, *Verbo Dei tradito* ſacram ſcripturam poſtponimus (ſicut Apologiſta pag. 78. nos accuſat): ſed, *PARI pietatis affectu, & reverentiâ, utraque ſuſcipimus ac veneramur* (cum Synodo Tridentina tandem) Latini - - *Binisque hiſce fundamentis, fidem ſuperſtructam*, ſe *confiteri*, explicat Græca Eccleſia. Nec aliud intenderunt ii authores (x) Romani, qui Eccleſiã, ſine verbo Dei *ſcripto*, ſubſtitiſſe, ſolo *tradito* fidem præſtantem, ab Adamo ad Moyſen; nunquam verô (ſuppoſito *ſcripto* per Moyſen) caruiſſe *tradito*, docuerunt. Quibus, in re ita compertâ, ſubſcribo.

Jam-

(t) Joan. 10. 30. (u) Joan. 14. 28. (x) Vid. Bellarm. loc. cit.

Jamque ad oſtendenda plura quæ *Apologiſta* (pag. 5. 79.) deſiderat, tranſeamus. Quænam, interrogat primò, *Traditiones ſunt, à ſcripturâ ſacra diverſæ, ceu regula quædam, & norma DOCTRINÆ AC VITÆ, admittendæ?* Interoganti, interrogationibus reſpondebo. Unde habent Lutherani; libros Divinos eſſe, quos ut *Canonicos* & *ſacros*, amplectuntur? Unde, integritatem B. *Mariæ* poſt partum perpetuam? (quam, in concipiente Chriſtum, explicat ſcriptura, *Iſa. 7. 14. & Luc. 1.*). Unde, non rebaptizandos hæreticos? (quamvis enim, *Epheſ.* 4. 5. legatur: *unum baptiſma*; non explicatur à quo conferendum). Plura igitur, tum ab aliis relata, tum, à me, *de jejuniis*, & *cultu imaginum ac Sanctorum*, ſupradicta; quæ ex *Traditione* Catholici credimus, omittens; ſeriô interrogo. Unde habetis (O Lutherani) Pœdobaptiſmum? Non quæro, Baptiſmi, ut pueri ſalventur, neceſſitatem; hæc ſiquidem clariſſimê legitur in teſtimoniis quæ adducitis, licet eandem in pueris Chriſtianorum ſine baptiſmo decedentibus negetis: ſed cum ſcriptum ſit (*Math. ult.*): *qui crediderit, & baptizatus fuerit;* unde habetis, quod, non obſtante incapacitate naturali ad actum fidei, baptizari poſſint infantes? aut baptizatos ſalvari? Rationem genuinam, (nê ampliùs Lutherani Doctores, in coercendis ſcripturæ dictis, inſudent) dabo ex Catecheſi ipſorum. Contra *Lutheri* transfugas, *Anabaptisſtas*, ſic loquitur (y): *Ratio ſexta* (præmiſſis aliis ex Scriptura, verê non convincentibus) *ab exemplo, & praxi Apoſtolorum: quæ tamdiû inconcuſſa ſtabit; DONEC ANABAPTISTÆ CONTRARIUM PROBABUNT, in domibus ſcilicet & familiis ab Apoſtolis baptizatis* (Act. 16. & 18.) *aut non fuiſſe infantes,*

(z) Inſtitutiones Catechet. ex Luthero. *Cunradi* Dieterici. de Baptiſmo. inſtit. 37. pag. 519.

tes, aut non fuiſſe baptizatos. Probabunt autem ad diem Febr. 30. (Et vos *Lutherani*; quando probabitis utrumque, quod *Scriptura S.* ſilet? Ad Kalendas Græcas.) Ut Clarius tamen diſcatis, Traditiones negantes, Traditione in veſtros Schiſmaticos *Anabaptiſtas* impugnandos, uti; audite quod ſequitur in veſtra Catecheſi. (z) *Septimò; quia denique, baptiſmus infantum, inde, à temporibus Apoſtolorū, in Eccleſiâ ſemper obſervatus eſt.* (Quam rationem, ſic inferiùs explicat *Catechiſta Dietericus*): *Ratio ſeptima, è teſtimonio humano primitivæ Eccleſiæ Apoſtolicæ. Quo nomine, PÆDOBAPTISMUS, TRADITIO APOSTOLICA NOMINATUR; QUAM, ECCLESIA, AB APOSTOLIS ACCEPIT.* (*Origenes lib. 5. ſup. 6. ad Rom.*) SEU, *QUÆ A DOMINO, PER APOSTOLOS, MANAVIT.* (*confer Cyprian. lib. 3. epiſt. 8. & Aug. lib. 3. de pec. mort. cap. 5. & lib. 4. contra Donat. cap. 23.*) Hûcusque Catecheſis *Lutheri*. Tam itaque verum eſt, nil contra *Anabaptisſtas*, de *Pædobaptiſmo*, ex ſcripturis clare convinci, ſed *Traditione* (quæ malê à *Catechiſtâ* dicitur *teſtimonium humanum*, quia *verbum Dei* eſt; juxta eundem, *A DOMINO PER APOSTOLOS manans*) ut (a) *Schwenfeldius* (lib. 2. epiſt. 21. pag. 299.) Lutheranis opponat, eſſe *baptiſmum Traditionarium, & humanum*, ſicut idem *Catechiſta* fatetur. Catholicorum quorumlibet, verba eadem Lutherani reijcerent; ſed *è Lutheri Catechiſmo deprompta* (ut *Dietericus* loquitur) damnare non audebunt. Et quia Catholici cuncti, infantes ſine baptiſmo etiam inculpabiliter decedentes, à regno & hæreditate Chriſti excluſos docemus; cum in providentiâ nobis notâ: (b) *niſi quis renatus fuerit denuô, non poteſt videre regnum Dei:* ex quibus Chriſti verbis, *Confeſſio Orientalis Eccleſiæ*, etſi de

(z) Ibid. ap. *Dietericum.* (a) apud eundem pag. 520. (b) Joan. 3. 3.

de his infantibus verba determinata non faciens, intulit (b): *quo* (baptiſmate) *quisquis non tinctus eſt, ille, nondum ab hoc peccato* (Originali) *expiatus eſt; ſed iræ Divinæ, æternique ſupplicii reus manet prout dictum eſt: niſi quis renatus &c.* Non tamen eosdem, ſine perſonali culpâ, æternis pœnis addictos dicimus: juſtiſſimus Deus ſiquidem decernit: (c) *quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum:* in quo, Dei, *abſoluti Domini*, qui, regeneratis tantum, hæreditatem promittit (ſecundum *Auguſtinum*) attendenda eſt ratio, qui: (d) *cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, - - - Jacob dilexit, Eſau autem odio habuit:* Dicerent nobis, optamus, *Lutherani*: unde, nedûm nos, ſed & *Calviniſtas* proſcribant (in citata (e) (*Catecheſi*) quia *non certô & indubitanter, ſed probabiliter dumtaxat, de ſalute infantium è vivis* (ſine baptiſmo) *evocatorum, ſperandum eſſe docent*? Numquid Pater, apud quem (f) *non eſt voluntas, ut pereat unus ex puſillis iſtis* (unde Lutherani ibidem arguunt) non eſt idem ille (g) *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Sicut inquam ex his, adultis plures (quod de *Lutheranis* & *Calviniſtis* ſimul, flens dico) permittit Deus deperdi; nonne, idem poterit & ex illis? Litigent hoc *Calviniſtæ*, qui probabilitêr tantum ſuadent, idipſum quod *Lutherani*, ſine verbo Dei *ſcripto*, nec adhuc *tradito*, illud volunt certum; ut nedum *negantes*, ſed & *opinantes* circa traditum à *Luthero dogma*, proſcribunt.

Interroganti ſecundô *Apologiſtæ*: *unde nobis conſtet, Traditiones ab Apoſtolis eſſe profectas?* Millies reſponſum eſt, unde ſibi conſtet contrarium? Sed ſolidiûs dicam: Conſtat nobis eodem teſtimonio, ac, quod ſcrip- 6.

Z turæ

(b) Parte. 3. qu. 20. fol. 281. (c) Apoc. 18. 7. (d) Rom. 9. 11. (e) inſtitutione 38. pag. 523. (f) Matth. 18. 14. (g) 1. Tim. 2. 4.

turæ ſacræ à Deo revelatæ fuerint : utrumque enim teſtatur Eccleſia. Traditiones, inſuper, Apoſtolicas eſſe aliquas, etiam ex ſcripturis habemus : Nam primô, *Chriſtum* plura reſervata habuiſſe, (h) quæ Apoſtoli *portare non poterant*, *edocendi* per *Spiritum veritatis* promiſſum, dubio caret. (i) *Ipſis, ſe præbuit vivum poſt paſſionem ſuam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei* (ait *Lucas*): Apoſtolos ultra ea quæ ſcripſerunt plura docuiſſe, memorat *Paulus*, tum, ad *Theſſalonicenſes*, (k) memorans, & *traditiones*, & *epiſtolas*; tum ad *Timotheum*, cui comittit ſervandum (l) doctrinæ *depoſitum* - - (m) edocereque alios ad magiſterium idoneos, ea *quæ ab ipſo audivit* - - tum, circa Eccleſiarum regimen, ſcribens ad Corinthios, ultra ea quæ ſcribebat: (n) *cætera cum venero diſponam.* Ubi igitur legére Lutherani (ſicut pro ipſis Apologiſta hic loquitur) iſta fuiſſe eadẽ quæ Apoſtoli ſcripta reliquerunt? Hoc nê habent in verbo Dei ſcripto? an in proſcripto verbo *Lutheri*? Et ſiquidem arroganter ſcribit (pag. 79.) *nil ſolidi* ſibi reſponderi poſſe; quid, nec frivolum adhûc, ipſe adduxerit, non video, illaturus; Apoſtolos, nil aliud in Eccleſiâ loquutos fuiſſe, quam ea quæ ſcripſerunt. Ad hæc non verebitur *Lutheranus* quislibet author, Patres poſt 4. ſæculum ſcribentes, erroris fulmine in creditis Traditionibus aggredi, ſicut *Apologiſtæ* calamus (pag. 84.) ſolitum *ignem fatuum* in eosdem emittit. Ex permiſſis igitur quatuor primorum ſæculorum ſacris Doctoribus, quosdam audiat.

7. Incipiat *Epiphanius*, qui integro. 4. ſæculo vixit; Permittamque, hæreticum quemlibet, in Virum hunc Sanctiſſimum debacchari, ſi ejusdem authoritate poſthabitâ

(h) Joan. 16. 12. (i) Act. 1. 3. (k) 2. Theſal. 2. 15. (l) 1. Tim. 6. 20. (m) 2. Tim. 2. 1. (n) 1. cor. 11. 34.

habitâ; rationum vim, quibus in necessariô fatendis Traditionibus utitur, solvit: (o) *Cum nuptis* (ait) *præcepta daret* (Apostolus): *dico autem innuptis & viduis; bonum est ipsis, si maneant ut ego; quomodo igitur istud usurpavit: alligatus es uxori, noli quærere solutionem? Nonnê contrariam Domini sui legem statuere videtur* (Luc. 14. 26.): *qui non relinquit Patrem & Matrem, & Fratres, & UXOREM, & Filios, & Filias, non est meus discipulus. Ad hæc; qui honestam conjugem, Patremque relinquere jubet, quomodo idem in alio loco dicit: honora Patrem & Matrem, hoc enim est primum, in promissione, mandatum; Et: quod Deus conjunxit, homo non separet? verùm, Divina omnia verba, non ad Allegoriam referenda, seu ut se habent, accipienda sunt; consideratione, ac sensu opus habent, ut argumenti cujusque vis, ac potestas intelligatur. SED, TRADITIONE, quoque OPUS EST: NEQUE enim EX SCRIPTURIS PETI POSSUNT OMNIA; idcirco, ALIA SCRIPTO, TRADITIONE ALIA, SANCTISSIMI APOSTOLI RELIQUERUNT. Quod ipsum, ita Paulus affirmat* (1. Cor. 11. 2.) *quemadmodum tradidi vobis.* Item in alio loco (1. Cor. 15. 3.) *ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis. Item* (Ibid v. 2.) *Si meministis, nisi, frustra credidistis. Jam verô, ab Apostolis, Sancta Dei Ecclesia TRADITUM accepit; post decretam Virginitatem, ad nuptias se conferre, scelere implicatum videri.* (ecce rationem totam ob quam rejecit Traditiones *Lutherus*) *Etenim Apostolus scripsit: Si nupserit Virgo non peccabit. Quidnam igitur? Ambo hæc inter se Consentiunt? sed nimirum, de ea virgine loquitur, quæ Deo virginitatem suam non addixit -- quod autem, ita se res habeat, ejusdem Apostoli testimonio constat, cum ait:* (1. Tim. 5. 11.) *adolescentiores viduas, devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. Habentes dam-*

(o) Epiphan. hær. 61. pag. 511.

damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt (quia scilicet, antea, cœlibes manere Deo obtulerant.) Si solida ista non sunt, audiant adhûc *Lutherani*, saltim æquê claram ejusdem sententiam. (p) *Ecclesia, necessariô, hoc perficit* (scilicet orare pro mortuis) *TRADITIONE à Patribus acceptâ. Quis autem poterit, statutum Matris dissolvere, aut legem Patris? velut Salomon dicit* (Prov. 1.8.) *audi Fili sermonem Patris tui, & nê repudies statuta matris tuæ: ostendens, per hoc, quod IN SCRIPTURIS, ET SINE SCRIPTO, docuit Pater, hoc est Deus, & Unigenitus, & Spiritus sanctus. Mater autem nostra Ecclesia, habet statuta in se posita indissolubilia, quæ dissolvi non possunt.* Non video, quomodo ab his *Epiphanii* argumentis recursus maneat, ad dubitandum, *Verbum Dei non scriptum* traditumque Ecclesiæ. Quod probat S. Doctor; tum ex hoc, quia sine ipso, verba Apostoli cum Christi verbis; istiusque dicta mutuô, coherere non possent; tum ex *maternâ curâ*, quam Deus ut *Pater* Ecclesiæ contulit, cui perfectissimæ, & edoctæ sponsæ, non opus erat omnia scribere; pluraque, satis erat revelare. Confirmat id clarius, eodem sæculo, ex Latinis *Hyeronimus*: (q) *etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. NAM ET MULTA ALIA QUÆ PER TRADITIONEM IN ECCLESIIS OBSERVANTUR, AUTHORITATEM, SIBI, SCRIPTÆ LEGIS USURPAVERUNT &c.* Si SS. igitur Ecclesiæ Patres, hujus sæculi percurrerem, plura, sed non efficaciora, repeterem.

8. In perquirendâ tertii sæculi doctrinâ, agmen ducat *Origenes*: *scribens* (r) *in Ecclesiasticis observationibus sunt nonnulla hujusmodi, quæ omnino facere necesse est, NEC TAMEN RATIO EORUM OMNIBUS PATET. Nam* - - (inter alia plura)

(p) Idem Epiphan. hær. 75. (q) Hyeron. Dialogo contra Luciferianos. cap. 4. (r) Orig. hom. 5. sup. Numeros.

ra) - - *Euchariſtiæ* , *ſive percipiendæ* , *ſive eo* RITU QUO GERITUR *explicandæ* - - *quis facile explicet rationem ? & tamen* , *omnia hæc operta & velata portamus ſuper humeros noſtros ; cum* , *ita implemus ea* , *& exequimur* , *UT A MAGNO PONTIFICE* , *ET FILIIS EJUS* , *TRADITA* , *& commendata*, *ſuſcipimus*. Si dicerem , loquutum *Originem* de ritu *gerendi* Euchariſtiam in Eccleſiâ ſervatam , ad percepturos ægrotos ; ſuffragium , (etſi Lutheranus) adhiberet *Pfaſius* ; qui ſcribit : (s) *mittebatur* (unde , aliundê conſecrata) *jam hoc ſæculo 2. Euchariſtia ad ægrotos*. (quæ, niſi permanente , in eâ *extra uſum* , *JEſu Chriſto* , non delata fuiſſet.) Idem *Origines* (lib. 1. in Math. apud *Euſebium* lib. 6. hiſt. cap. 25.) *ex Traditione didici* , *Eccleſiam* , *per totum Orbem diſperſam*, *ſola 4. Evangelia recipere : 1. Matthei* - - *2. Marci* - - *3. Lucæ.* ; *4. Joannis.* Ex Latinis , verô *Cyprianus* , (t) circa Euchariſtiam pariter : *admonitos autem nos ſcias* , *ut in calice Domini OFFERENDO* , *Dominica Traditio ſervetur* , *ut calix qui in Commemorationem ejus offertur* , *mixto vino offeratur.* Sed quid ad *Lutheranos* , quod *Cyprianus*, hanc *Traditionem DOMINICAM* dixerit ? Ita in catechiſmo (u) citato inſoleſcunt , ut dicant : *Dato* , *eſſe factum* (*Chriſtum* ſcilicet , vinum aquâ dilutum conſecraſſe) *pro more regionis illius* , *ob vina fortiora factum* , *& ſic eſt indifferens.* Guſtavit nê omnia Jeroſolimitana vina cauponarius hic Catechiſta Lutheri , ut omnia fortia , diluendaque perceperit ? Fœlix in potando , natio ; quæ , nê aquam vino miſceat , nec in Sacramento , Chriſti morem ſervandum decernit. - - Nec omittenda plura , quæ de *Clemente Alexandrino* , ſcribit (x) *Euſebius* : *Clemens Alexandrinus* (inquit) *in*

(s) Pfaſius ſæc. 2 cap. 4. §. 3. pag. 34. (t) Lib. 2. epiſt. 3. (u) Dietericus. cit. inſtitut. Catech. 21. de cœna Domin. pag. 550. (x) Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 13. (-) ex verſione Gallica Mr. Couſin , quem ad manus habui, latine transl.

in libro de Paschate celebrando, *ait* : *se rogatum fuisse ab amicis, ut Traditiones scriberet, quas à senioribus didicerat.* Et : *sunt & alii octo libri institutionum Clementis, in quibus tradit, & explicat Traditiones, quas Panthenius ipsius Magister à majoribus acceperat* - - Fuit Panthenius hic, ad prædicandum missus in Indiam; ubi Evangelium à *Matheo* scriptum, reperit: Magisterque *Catecheticus* seu verbo docens, Alexandriæ, ante ipsum *Clementem*; (ut scribit *Psfasius*, ad sæc. 2. c. 2. §. 2. pag. 27. 28.) Item: *in primo libro Stromatum, loquitur de seipso, testaturque; successoribus immediatis Apostolorum quasi convixisse.* (En rationem, quare, ab ipso veritates ab Apostolis traditas requirerent cœteri; scriptas enim in libris sacris, ejus tempore, habebant cuncti.) Nil solidius pariter repeterem, si sæculi hujus monumenta subadderem: etsi enim Lutherani recurrant ad hoc, quod *Patres*, de *Traditione* loquutos, *eandem ex sacrâ scripturâ volebant elici* (ut loquitur *Psfasius*), satis contrarium evincunt adducta testimonia. Quod si, *Traditiones* (Scripturæ sacræ *contrarias*) rejecisse addat: circumlata tunc Evangelia Apochripha rejecta fatemur, qui hoc apud *Eusebium* legimus.

9. Ad 2. sæculum, si transimus, monet *Apologista* (pag. 83. 84.) *Irenæum & Tertullianum*; quos fassus Traditionum mentionem fecisse; fingere volens, eosdem Traditionibus usos ad ipsas veritates quæ in sacrâ scripturâ extabant confirmandas, verba eorum non est ausus adducere. Solûm *Irenæum* dicentem (apud (a) Eusebium) cuncta quæ à *Policarpo* audierat, *scripturis fuisse consona*, Commemorat. Sed num *consonum*, & *idem*, sinonima sint? interrogo: & Traditiones quas docebant hæretici plures illius temporis (duce (b) *Valentino*) sacris

(y) Sæc. 3. cap. 2. §. 2. pag. 47. (z) Idem ibidem. (a) Lib. 5. histor. cap. 20. (b) Vide Psfasium. sæc. 2. cap. 5. §. 4.

cris ſcripturis *diſſonas*, æquê reijcio; ſicut & humanas quasdam, ex Orthodoxorum quorundam ſimplicitate ortas, ab Eccleſiâ tamen ſæculorum ſerie rejectas, nec unquam in totâ Eccleſia acceptatas: qualem fuiſſe dicam, illam, de futuro in terris *Chriſti Regno millenario*, quam, tanquam fabulam, à *Papia* (viro Apoſtolico, aliàs, ac piiſſimo) inventam, irridendamque, noſcebat Eccleſia (c) ante *Euſebium*: imò de Authore, addidit iſte: *Quod Papiam crediddiſſe, ſuadeor, quia veritates ab Apoſtolis ſub figuris traditas, non comprehenderit, ipſius enim mediocre fuiſſe judicium, ex ejusdem libris patet.* Unde (ſiquidem *Apologiſta*, ab eo, quaſi infallibiliter ſibi videtur arguere) ex *Euſebio* inferet, de facto *Traditas* ab Apoſtolis veritates, etiam *ſub Figuris.* Quas ſi easdem cum ſcriptis adhûc repetat, alibi ipſum *Euſebium* legat: (d) *Moyſes* (ait) *in tabulis inanimatis; Chriſtus autem in mentibus vitâ præditis, perfecta novi Teſtamenti documenta deſcripsit: ejus vero diſcipuli, ad magiſtri ſui nutum, auribus multorum, doctrinam ſuam Commodantes - - partim litteris; PARTIM SINE LITTERIS, QUASI JURE QUODAM NON SCRIPTO, SERVANDA Commendarunt.* Error igitur, ſi quispiam in *Papia*, ex malê intellectâ doctrinâ Apoſtolicâ, ſequutus fuit, hanc non poteſt evertere; quia non ad Papiam, ſed ad Eccleſiam ſpectat, veras Traditiones à falſis diſcernere.

Sed jam ad verba Tertulliani & Irenæi, quæ Apo- 10.
logiſta proferre non audet; num, *Traditione*, eandem doctrinam ſacræ ſcripturæ commendaverint, inquiſituri, deveniamus. *Tertullianus*, (primô) plura, & ferê integra *capita* libri *de corona militis*, in *Traditione* ſuadenda percurrit; aliqua liceat inde ſecare, quæ clarius ſcri-

(c) Ex Euſebio lib. 3. cap. 39. (d) Euſeb. lib. 1. demonſtr. Evangel. cap. 8. apud *Jodocum*. cit.

scribit. (e) *Facile est* (arguit ex hæreticis) *statim exigere, ubi scriptum sit, ne coronemur?* (respondet) *At enim, ubi scriptum est ut coronemur? Expostulantes enim scripturæ patrocinium in parte diversâ, præjudicant, suæ quoque parti scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideô dicetur, coronari licere, quia non prohibeat scriptura; æquê retorquebitur, ideô coronari non licere, quia scriptura non jubeat. &c.* (Audiant *Novatores*; & in omni, quam negant, *Traditione*, sic arguant si vim illationis attingunt.) - - Item: (f) *etiam in Traditionis obtentu, exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an, & TRADITIO NON SCRIPTA non debeat recipi? Planê negabimus recipiendam, si nulla exempla prejudicent aliarum observationum, quas, SINE ULLIUS SCRIPTURÆ INSTRUMENTO, SOLIUS TRADITIONIS TITULO, exinde, consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, ut à baptismate ingrediar, aquam adituri, prius contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc, ter mergitamur, AMPLIUS ALIQUID respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit - - oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuà die, facimus. Die Dominico, jejunium nefas ducimus.* (& post alia) - - *Ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum & exitum; ad calciatum, ad lavacra, ad Mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio aliqua exercet, frontem, Crucis signaculo terimus. &c.* - - Tandem: (g) *harum, & aliarum similium disciplinarum, SI LEGEM EXPOSTULES SCRIPTURARUM, NULLAM INVENIES. TRADITIO TIBI PRÆTENDETUR AUCTRIX, Consuetudo, confirmatrix, ET FIDES OBSERVATRIX. Rationem, Traditioni, consuetudini, fidei, patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces, &c. His exemplis, renuntiatum erit, posse ETIAM NON SCRIPTAM TRADITIONEM, in*

(e) Tertul. lib. de corona militis. cap. 2. (f) ib. cap. 3. (g) ibid. cap. 4.

in observatione defendi, *CONFIRMATAM CONSUETUDINE*, *IDONEA TESTE PROBATÆ TUNC TRADITIONIS*, *EX PERSEVERANTIA OBSERVATIONIS.* Cuncta *Tertullianus* intulit, cuncta prævenit: si de *Traditionibus non scriptis* non satis clarê percipitur, clariûs infertur Lutheranorum cæcitas.

Accedat *Irenæus*, sed brevior; quia de ipsius doctrinâ, parûm jam tetigimus antea. Apud *Eusebium*, (h) ab Apologista productus, audiatur. *Irenæus videns eum* (Florinum) *in Valentini errorem lapsum*, *scripsit librum de Ogdoade.* (En ocasionem scribendi, confutare scilicet fabulas *Valentini*, tanquam fictas Traditiones cum veris miscentis.) *Ipse* (prossequitur *Eusebius*) *in dicto libro*, *testatur*, *se recepisse primam Traditionem Apostolorum* - - *Item: ipse* (epistola ad *Florinum*) *testatur*, *se*, *antea cum Policarpo familiariter conversatum; en ejusdem verba* (Irenæi) *Hæc Doctrina*, *Florine charissime*, *ut*, *quô mitiûs possum*, *dicam*, *sana non est. Ipsam* - - *Presbiteri qui nos antecesserunt*, *quique ipsorum Apostolorum discipuli fuerant*, *tibi minimê tradiderunt.* (Et recolens cum *Florino* ipso habitam sodalitatem apud *Policarpum* eorundem Magistrum, addit): *Memini*, *& adhûc referre possum*, *verba Policarpi ad populum habita*; *narrata etiam ipsius colloquia cum Joanne*, *aliisque*, *qui Dominum viderant*; *cunctorumque*, *quæ*, *de Doctrinâ & miraculis Christi*, *ipsum edocuerant*: *IN QUIBUS*, *NIL ERAT*, *NON VALDE CONSONUM*, *HIS QUÆ IN SACRIS SCRIPTURIS LEGIMUS* (quæ tamen ab his distincta subdit) *Deus mihi hanc contulit gratiam*, *ut cuncta attentissimê audirem*, *IPSAQUE SCRIBEREM*, *NON IN CHARTA*, *SED IN CORDE*; *eaque continuô repetam.* Ultra *sacram*, ergo, *Scripturam*, quam certê *Irenæus* scriptam habebat *in chartâ*, alia *Florino* memorat, ab Apostolis per *Policar-* II.

(h) Lib. 5. hist. cap. 20. ex versione Gallica. Cousin.

licarpum habita, & in corde ſervata; quæ, ſcripturæ ſacræ *valdê conſona*, *Valentinianis* fabulis ſacræ ſcripturæ *diſſonis*, ut *Florinum* corrigeret, opponebat. Et quis credet, *Apoſtolos*, *Policarpum*, cœterosque quotidie concionibus applicatos, præter Divinæ ſcripturæ Lectionem, nil addidiſſe? Divini verbi Lectio, in *Calviniſtarum* Eccleſiis, ei qui ſcit vix legere committitur; poſtque hanc, Concionator (etſi *Miniſter verbi Dei* vocetur) orationem, ſecundùm ſcripturas ut ipſi dicunt, texit, & profert; ſed artificioſam, & à ſe elaboratam, die unaquáque diverſam; quarum, quasdam me audiviſſe à Miniſtro *Genevensi*, *Moskuæ*, non ſpernendas, juſtê teſtabor, nec unquam verbo uno circa dogmata ipſorum mixto, ſolâ doctrinâ morali refertas. Sic Lutheranorum Miniſtri quoque, ultra ſcripturam ſacram, plurima docent: & hoc de Apoſtolis dubitabunt?

12. Si *Areopagitam Dioniſium*, primi *Apoſtolici* ſæculi ſcriptorem addiderim, aſſerentem: (i) *primi illi ſacerdotalis muneris duces, cùm ex ſummâ ſuperſubſtantialique Deitate, ipſi ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, & idipſum propagare, à Divinâ bonitate miſſi eſſent, - - ſumma illa, & ſuperſubſtantialia*, PARTIM SCRIPTIS, *PARTIM NON SCRIPTIS INSTITUTIONIBUS SUIS (juxta quod ſacræ definiunt leges) tradiderunt;* Reſpondebunt *Lutherani* (cum (k) *Pfaffio*) non illius, ſed alterius (quem *Pſeudo-Dioniſium* vocant) quarti ſæculi ſcriptoris, opus eſſe; imò quinti ſæculi diceret forſan *Apologiſta* cum aliis. Quidquid iſti novi critici dicant, Græci omnes, ſaniorque Latinorum pars, eundem *Areopagitam Pauli* Diſcipulum ut authorem recognoſcit, citatum à ſexta ſynodo generali, Act. 4. & 8. contra *Monothelitas*; & à Synodo 7. contra *Iconoma-*

(i) Lib. de Eccleſiaſtica hyerarchia. cap. 1. (k) Sæc. 4. cap. 1. §. 3. pag. 61. 62.

nomachos; de quo, criticum non interest ad præsens ferre judicium.

Inde, plusquam opus erat, satisfiet Apologistæ quærenti tandem; *quâ ratione, continuâ successione in Ecclesiâ propagatæ sint* Traditiones? Si enim à quarto sæculo, fatetur *Apologista* (pag. 85.) istas retentas; *cumque aliis erroribus* (oblatrat) *hunc quoque, quo, Traditionibus, plusquam decebat tribuerunt, irrepsisse;* demonstratâ sibi eâdem antecedentium sæculorum doctrinâ, tenebuntur *Lutherani*, aut fortiûs insanire, aut obmutescere. Etsi enim nobis illusurus addat (ibid pag. 79.); quosdam *ex Romanæ Ecclesiæ addictis putare, se rem acu tetigisse, dicentes, eam traditionem esse Apostolicam, cujus certa assignari origo nequeat:* audacior ostenditur *Donatistis*, quorum ullum nescimus insnltantem *Augustino* contra ipsos scribenti: (l) *Quod universa tenet Ecclesia; nec Consilii institutum est, sed semper retentum, non nisi authoritate Apostolicâ traditum, rectissimê creditur.* Ubi, ut una capiatur, bina addita attendi debet conditio. Ponitur, *non esse Concilii statutum*, sic enim, esset *Traditio* merê *Ecclesiastica* & mutabilis ob diversa motiva; unde, Ecclesiasticam rei cujusdam nescimus originem, licet de eâdem loquatur Consilium aliquod, tanquam de re antiquiori. Ultra istud, ergo, aliquid esse debet, quod *universa*, & *semper*, *Ecclesia* (etiam hæreticis insultantibus) *tenuit*; sic enim non fuisse errorem suadetur. Nec aliud intendit *Orthodoxa Ecclesiæ Orientalis Confessio*, dicens; (m) *eadem ab Apostolis, vivâ voce tradita* fuisse *postmodum à consiliis, sanctisque Patribus, PLENIUS DECLARATA;* supponit siquidem ab Apostolis traditum, quod *declarat pleniûs* Ecclesia jam retentum. Tales, ut tandem sibi plu-

(l) August. lib. 1. contra Donat. cap. 24. (m) Confes. Orthod. parte 1. qu. 4. fol. 19.

plura explicemus; si materia illarum, etiam Apostolorum authoritatem excesserit, nec Apostolicas dicimus, sed *Divinas*: sicut, *de septenario Sacramentorum numero*; *de Virginitate B. M. V. perpetuâ; de parvulis baptizandis*; *de aquâ calici sacro miscendâ*, & alia: si verô *Apostolicum* munus concernant, tum Christi præconum, tum primorum loco Christi rectorum Ecclesiæ; ab ipsis ut edoctis & directis à Christo, ejusdemque sanctissimo spiritu acceptas, *Apostolicas vocamus*; sicut *institutio Quadragessimæ & Parasceves*; *observatio diei Dominicæ loco Sabbati*; *Chrismatis renovatio*, & alia; quæ, non cuncta, Apostolos, quoad mores, ordinasse perpetua, constat ex eorum lege (n) de *suffocato* non edendo, quæ jam ab *Augustino* (o) memoratur, ejusdem tempore in dessuetudinem abiisse: Quod, si Traditionis retentæ post Apostolos, sive Synodis, sive Prælatis disponentibus, reperiamus initia, vocatur tunc merê *Ecclesiastica*; sicut *solemnitas, & observatio Festorum præter Dominicam*; pii mores, tum *aquæ benedictæ aspergendæ*, tum *nos cruc signandi*; & alia. Hæc tetigisse licuit, diffusissimê jam tractata à pluribus; apud quos videnda relinquo: nec ista insinuassem, nisi *Apologistâ* compulisset.

14. Nec tantùm Ecclesiæ Christianæ proprium fuit, Traditionibus niti. Præter ea quæ de tempore *legis naturæ* ante *Moysen* jam supra diximus, aliquid addam: In illâ modus aliquis habebatur, Deum colendi, sacrificia offerendi; & hominibus, naturæ lux, ut in Deum supernaturaliter crederent ac sperarent, aut fidei Divinæ misteria credenda, non dictabat; (p) *juxta* quam *fidem defuncti, non acceptis repromissionibus, sed à longê confitentes* celebrantur à *Paulo*, Abel, *Henoch*, *Noe*, *Abraham*,

(n) Act. 15. 29. (o) Aug. lib. 32. contra Faustum. (p) Hebr. 11. 13.

raham, Sara, & alii. In eà igitur Ecclesiâ, quam nulla dirigebat scriptura, quæ non erat; quomodo, nisi *Traditione*, credita fuissent sequentia: *mundum à Deo creatum esse: peccatum ab Adamo propagatum: remedium ad idem tollendum: Messiam venturum: Deum remuneratorem, & ultorem: vitam æternam futuram post mortem*; & plura alia? In lege scripta, etsi tandem, Pharisæorum malitiâ, vanæ, & justissimê à Christo reprehendendæ Traditiones humanæ fuerint introductæ, quarum aliquas ex Evangelio notabo infra; meritô tamen ab omnibus credebatur; tum symbolis illis & *figuris*; *nubis* dirigentis; *Mannâ* cibantis; *petræ* adaquantis &c. præfigurari Christum; quod nullibi scriptum legimus usque ad (q) *Paulum*: sicut, cruenta in lege illâ præscripta sacrificia, credebantur typus mortis *Christi* futuræ; quod scriptum tamen non erat: Remedium peccati originalis in *fæminis* (quod externo ritu conficiendum, eodem modo, tempore *Mosaicæ* legis ab antiquioribus *Moyse* Patribus traditum continuasse, sentio cum (r) *S. Thoma*, & Theologis) nullibi scriptum invenitur; sicut nec pro *parvulis* ante octavum diem, ad quem circumcisio protrahebatur, morientibus; quibus tamen credebatur peccatum practico aliquo remedio à Deo revelato, tolli, (licêt verum *Sacramentum*, quod (s) saniores Theologi fuisse supponunt, non extiterit; de quo non ad præsens.) De his, & aliis, putat *S. Hilarius* mentionem fecisse *Christum* (Math. 23. 2.) dicentem: *super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite*: de quibus, Moyses, præter legem scriptam, velut secretioribus legis mysteriis, septuaginta illos viros *Synagogæ* præfectos, ut illa populo docerent in-

(q) 1. Cor. 10. (r) S. Th. 3. p. qu. 70. art. 2. ad 2. (s) videatur idem. qu. 69. & sequ. (t) Hilarius in Psal. 2.

instruxerat. Atque de his asserit *Augustinus* (contra adversarium legis & Prophetarum. lib. 2. cap. 1.) Judæos Traditiones suas non scriptas habuisse, sed memoriter retentas, ab altero in alterum loquendo transfusas: quamvis postea recentiores Hæbræi varia de ipsorum *Traditionibus* edidére volumina; *Mischnam*, quæ est *lex secunda*, *vel Oralis*, sæculo quinto Christiano edita à Rabbino *Jehudà* - - *Gemara*, quod est complementum seu expositio *Mischnæ* - - *Thalmud*, ex utroque *Mischnâ* & *Gemarâ* conflatum, sive *Jerosolomitanum*, sive *Babilonicum*, utrumque mille blasphemiis in Christum, falsitatibusque refertum, jussu Romanorũ Pontificum *Gregorii* 9. *Innocentii* 4. *Julii* 3., *Pauli* 4., & *Clementis* 8, proscriptum & combustũ - - *Massorã*, idest *Traditionẽ*, ex litteris & punctis puritatem textus sacri inquirentẽ - - *Kabalã*, seu symbolicã Theologiã, & scripturæ *anagogicã* expositionẽ antea, nunc apud *Judeos* corruptissimã *Magiã*. De his omnibus hodie inter hebræos ipsos jam confusis egêre plures, ut *Mirandulanus*, *Morinus*, & alii. Videatur *Petrus Annatus* in suo *apparatu* tom. 1. lib. 3. art. 5. Quid igitur aliud (dicam cum *Augustino*) mirabimur in Dei manu; postquam (u) *fecit potentiam in brachio suo, dispersitque superbos* illos, *deposuitque potentes de sede, & exaltavit* (Nos Christianos) *humiles*: conservante Judeorum Gentem, Providissimo Dei juditio non deletam, sed præter aliarum nationum afflictarum ordinem, per totum terrarum orbem dispersam: nisi, ut Legem *Christum* adumbrantem *& Evangelium*, ipsis Judeis testibus, commendaret: quorum etiam *Traditione*, videntes *Ethnici* venerabilem, ipsam non reijcerent, ut Christianum figmentum? (x) *Quid est* (ait Latinorum Patrum Aquila) *hodie gens ista, nisi quædam scriniaria bajulans legem & prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus*

(u) Luc. 1, v. 51. (x) August. *lib.* contra *Faustum* cap. 23.

remus per Sacramentum, quod nuntiat illa *per litteram?* Videmus ergo *Traditionem* hanc à Judæis ad nos usque continuatam; ut, quas *scrutandas scripturas* Christus præcepit, ex *Traditione* Judeorum & Ecclesiæ noscamus easdem esse quas nunc habemus.

Exulet, inde, criticorum plurium (Protestantium 15.
ferê cunctorum, qui *Lutherum* ad glosam margin. 2. Reg. 23. 8. imitati sunt) delirium; ex quibus, ut *Massoram* Hebræorum refutaret, sequentes *Theses* deduxit audacissimus *Tubingensis*, *Bulffingerus*, laureandus; (y) Præside *Pfasio*. *Thæsis 5.* erat: *unde conficitur*, *Judeos veteres, non adeô religiosos fuisse, ut non dubitarint, textum sacrum corrumpere, &c.* - - & *Thæsis 8. Codices novi testamenti corrupére, Librarii, Critici, Impostores, Hæretici, Orthodoxi, Vetustas.* Bonê Deus! Neminem præter se ipsos credo, ab hac corruptioni datâ ope, dispensant; sed si cuncti (præter *Lutheranos*) depravarunt, *Lutheranos* ob jactatam *puritatem* quibus annumerandos dicemus? Si & *Orthodoxos*, & *hæreticos*, depravasse accusant; ipsos *Purificantes*, novos (*Evangelicos* non sed) *Evangeli-Catharos*, irrideamus. Has *Thæses* adjectis notulis fulturi confuderunt, ut antiquissimis Ecclesiæ Patribus, novos Criticos, quorum nomina nec memoranda judico, præponerent; quô, nec in Scripturæ sacræ litterâ quam dicunt fidei regulam idem omnes dicant. Hæbreos & Græcos fontes, si quos *Lutherus* ejusque sequaces biberunt, corruptos fateantur; Ecclesia, custodiâ cœlesti munita, illibatos in sæcula sæculorum conservare poterit. Non negamus, Judeos *Massoram* habere confusam, corruptam, & incertam; aut quod malitiosê Hæretici quædam exemplaria depravaverint; sed quis dubitave-

(y) Inter opera Pfasii secundô edita Tubingæ. 1718. Primitiæ Tubingenses. parte 1. dissert. de Evangeliis sub Anastasio Imper. non corruptis. Addita in fine corollaria pag. 65.

taverit mansisse alia pura ad directionem Ecclesiæ ? Si Lutherus corrupta habuit, quid ad nos? Eadem purissima tradere nobis potuit *sola Ecclesia*. Multô minûs, hac Divinâ *Traditione*, intelligendam dicam *Disciplinam* illam *arcani*, quam (crisim vitaturus) non asseram somnium, sed usque adeô, arbustivum labruscarum involucrum. Hanc conatur *Pfafius* (z) ipse stabilire: proponens primô; *Adamum in statu innocentiæ Trinitatis mysterium ignorasse; ut disciplinam arcani* etiam in Paradiso inferat. Sed quo fine? Si etenim unico creato homini Deus arcanum hoc misterium zelasset, quomodo *disciplina arcani* dici posset, id quod soli Deo notum *disciplina* nec esset? E contra verô; Deus, parentes primos in Paradiso collocatos, (a) *disciplinâ intellectus replevit; creavit illis scientiam spiritus, & sensu replevit cor illorum:* unde; & quia Adam omnibus animantibus (b) *nomina imposuit*, infert *Chrisostomus*, (c) perfectam rerum omnium in eo fuisse scientiam: & Angelicus meus Dr. *S. Thomas* (d), longê altiorem hanc in eo fuisse de rebus Divinis, quam quilibet homo modô habeat; quia mens ipsius liberior erat tunc, quã nunc nostra, quorũ (e): *Corpus quod corrumpitur* (post peccatum) *aggravat animam, & terrena cogitatio deprimit sensum*; in illo autem, potentiis inferioribus rationi subjectis, ita hæc imperturbata illustrabatur à Deo, ut probabiliter dicat *Augustinus*, (f) Deum tunc primis hominibus loquutum fuisse, sicut illuminando eosdem loquitur *Angelis*, ipsâ incommutabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non cum tantâ participatione Divinæ lucis. *Trinitatis etiam mysterium* revelatum fuisse *Adamo*, expressê do-

(z) Dissertatione posteriori de præjudiciis Theologicis, à §. 13. pag. 149. sequ. (a) Eccli. 17. 5. (b) Gen. 2. 20. (c) Chrisost. hom. 14. in Gen. (d) S. Thomas 1. p. qu. 94. art. 1. (e) Sap. 9. 15. (f) August. lib. 11. de Genesi ad lit. qu. 33.

docuit (g) *Epiphanius*: ſolaque illa, quæ ad ordinandos homines in finem ſupernaturalem non pertinent, *Adamum latuiſſe*, addit ipſe *Doctor Angelicus* - - Nec ea quæ (Joan. 14. 26.) Apoſtoli, à Chriſto, pro tunc *portare non poterant*, diſciplinam *arcani* imaginatam ſuadent: hanc enim *Arcaniaci* iſti volunt doctrinam profundiſſimam, paucos inter conſervatam etſi non divulgatam omnibus, ea vero *importabilia* nemini tunc patebant; poſtquam autem, advenientis Divini ſpiritus Magiſterio, ea novère Apoſtoli cuncti, omnibus pariter iſti (h) *repleti Spiritu, cæperunt* (& continuaverunt) *loqui*, *variis linguis*, (non limitatê, ſed) *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis magnalia Dei.* Nec dicam, omnes auditores, & credentes, æqualiter myſteria percepiſſe. Sed cum: (i) *omnis doctrina divinitûs inſpirata utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, & ad erudiendũ in juſtitiâ;* nil credi poteſt quod cœteris zelandum Apoſtoli revelatum acceperint: magiſque mirandum, *Lutheranum* quendam, hanc *arcanorum* incommunicabilitatem contendere; ſimulque, ex his *Pauli* verbis inferre, (cum *Apologiſtâ* hîc) nil ad directionem Eccleſiæ à Deo receptum non ſcripſiſſe, ut vivâ voce ab ipſis Traditas veritates credendas, obſervandasque regulas, tenaciûs negent omnes. Hinc, quotquot ex antiquis Patribus, *occultandi profundiora myſteria populo*, proferuntur (ab eodem *Pfaſio*) teſtimonia, intelligi debent de actione ſolemni Sacrificii Euchariſtici, ad quod *Gentiles* & *Catecumeni* non admittebantur, poſt lectionem Evangelii & doctrinam prædicatam, è *communicantium* cœtu excluſi: unde in Latinorum ritu non dicit ſacerdos: *Orates fratres*, (ideſt, in Chriſto mecum renati) niſi poſt offertorium, quando ſcilicet jam exie-

(g) Epiphan. in Panario adv. hæreſes. initio. (h) Act. 2. 4. 11. (i) 2. Tim. 3. 16.

rant *Catecumeni* antecedenter instructi. Sic in antiquis *Liturgiis* reperitur, ante Sacrificium: *Catecumeni exite: si quis non communicat, det locum*: adhucque in Græcâ, ut arcanissimum Mysterium laicis non pateat, clauduntur portæ Sanctuarii usque ad sacrificii finem, quando istis redapertis, dicitur communicaturis: *Sancta, Sanctis*; cum tamen in *Missâ Præsanctificatorum*, in quadragessima, quia Sacrificium non offertur, sed præconsecratis speciebus die Dominicâ completur in jejunii diebus Liturgia, portas Sanctuarii non claudi, vidi, quoties interfui. Sed de *disciplina* hac *arcani* nec vestigium invenitur inter Latinos aut Græcos: quia, tum doctrina, tum disciplina Ecclesiæ, traditæ sunt pro omnium *utilitate*; occultandæ solum eis, qui extra Ecclesiam sunt, vel quia indignis, vel quia forsitân despecturis.

16. Jam ex hucûsque dictis, liquet responsio ad omnia ab Apologistâ objecta. Traditiones siquidem reprehensæ à Christo, erant *Pharisaicæ*, pro Divinis fictæ, sicut: lavandi manus, nedum (k) ante, sed (l) frequenter in prandio, ob quod fortê, legimus, (m) *Lapideas* illas *hydrias sex positas* (in *Canâ Galileæ*) *secundum purificationem Judeorum*, quarum aquam Christus convertit in vinum: quod (n) *cum peccatoribus* non esset manducandum, ob quod scandalizabantur in Christo, quia permitteretur (o) *tactus peccatricis mulieris*: quod *Sabbato*, nec liceret (p) *ægrotum sanare*; nec famelicis (q) *spicas vellere*: quod decimandum esset, etiam (r) *anethum*, *menta*, & *cyminum*: quod (s) *jurare per templum* nil esset, nefas autem *jurare per aurum templi*: & aliæ, quarum nonnullæ videbantur laudabiles; sicut, quod (t) *frequenter jejunantes* discipulos Chri-

(k) Matth. 15. 1. (l) Marci 7. 3. (m) Joan. 2. 6. (n) Matth. 9. 11. (o) Luc. 7. 39. (p) Luc. 6. 7. (q) Matth. 12. 2. (r) Matth. 23. 23. (s) Ib. v. 16. (t) Matth. 9. 14.

Christi, non jejunantes verô illorũ more, reprehenderint. Tamen, vel quia (u) *ea faciebant ut viderentur ab hominbus*; vel quia minuta ista servantes, majora respuebant, (x) *excolantes culicem, camelum autem glutientes*; vel quia avaritiâ capti, ob cœremonias orandi, (y) *Comedebant domos viduarum:* has, cum aliis verbo Dei oppositis, Christus reprehendit: quorũ si aliquid, in servandis Christianis *Traditionibus*, ut hypochrisis, aut defectus in principalioribus Dei mãdatis reperiretur, æquê nos reprehẽsibiles essemus.

Quæ ex *Irenæo*, & *Papia*, subaddit, ex dictis 17. facilê corruunt. Quia tamen *Basilium* provocat (pag. 86.) *Basilium* audiat; qui non veretur scribere: (z) *Sine Traditionibus non scriptis, Evangelium esse purum nomen.* Laudetur spiritus ejusdem propheticus, pro *Lutheranis* prævisis; in quibus *purum nomen Evangelicorum* mansit, impurissimo retento ejusdem sensu, Traditione rejectâ. Sed prossequatur *Basilius*: *DOGMATA*, ait, *quæ in Ecclesiâ servantur, partim ex conscriptâ Doctrinâ habemus, partim ex Apostolorũ TRADITIONE in misterio ad nos delata recepimus. Quæ utraque, ad pietatem, eandem vim habent, & NEMO his contradicit, QUI MEDIOCREM SALTIM ECCLESIASTICORUM JURIUM EXPERIENTIAM HABET - - Nullam*, dixisset potiûs, *Ecclesiasticorum jurium* residuam in Lutheranis *notitiam*; sed minorem adhûc miremur ipsorum in explicandis SS. PP. intelligentiam; cum (ex *Chemnitio*,) *de ritibus non necessariis* explicant verbum illud *Basilii*, *DOGMATA*; quid enim respondere possunt solidũ, ignoro, ad alia ejusdẽ verba: *Quæ utraque* (idest, dogmata scripta, & non scripta) *ad pietatem*, *EANDEM VIM HABENT.* Quæ, si de ritibus non necessariis (ut cru-

 cis

(u) Matth. 23. 5. (x) Ib. v. 24. (y) Ib. v. 14. (z) Basil. lib. de spiritu. S. cap. 27.

cis ſigno, aquâ benedictâ &c.) vera eſſent (ſicut explicavit *Chemnitius*) fortiûs opponerentur cum Lutheranis deliriis; furentes enim legimus cunctos iſtorum, contra ritus hujusmodi, quos aſſerunt ſuperſtitioſos. Quid igitur Apologiſta inferre voluerit ex *Baſilio*, vix capio; cum rectiſſimê prævenerit Sanctus Doctor (a) *repurgandos nos eſſe ab omnibus, pariter, ſive diabolicis concupiſcentiis, ſive mundanis faſtigiis, ſive Traditionibus humanis*, quas Chriſtum reprehendiſſe videmus; Divinas autem, quas à Chriſto & Apoſtolis, imò & ab Eccleſiâ à ſpiritu ſancto directâ recepimus, ſedulô commendaverit. Hancque *Baſilii* mentem, verbis ejusdem, *Apologiſta* oſtendit, ſanctiſſimâ illâ regulâ (b): *quod nullo modo ſequi debemus humanas traditiones; ut pro illis defendendis, præcepta Divina violemus;* (ſicut feciſſe *Phariſeos* increpaverat (c) *Chriſtus*:) ſervatis autem iſtis, regulam eandem (quam veluti alteram nobis Apologiſta objicit) pro noſtro Catholico dogmate, proſſequitur: (e) *ad unum, omnia ſervanda ſunt, quæ, à Domino, per Evangelium & Apoſtolos tradita ſunt; neque eorum quidquam prætermitti debet.* Quomodo namque, minimo nedûm, ſed nec maximo labore, quo verê opus eſſet (ut *Apologiſta*, laborem tamen quia infructuoſum futurum omitens, loquitur p. 86.) oſtendi poſſet, *Baſilium*, *Traditionum humanarum*, indeque *rejiciendarum* nomine, *Sacras*, & quas nos ut *Divinas* ſuſcipimus, intellexiſſe: quislibet judicet. Nam quod *Baſilius*, ex textu *Apoſtoli* (2. Theſſal. 2, 15.): *tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam*, Traditiones tantûm ab Apoſtolo *ſcriptas* ſervandas intulerit; niſi rationis expers nemo proferet, qui legat eum ſcribentẽ (f): *dogmata*

(a) Lib. 1. de Baptiſmo cap. 2. (b) Idem Baſil. in moralibus. cap. 2. (c) Marc. 7. 6. (e) Baſil. ubi ſupra cap. 3. (f) ex lib. de Baptiſmo cit.

mata, partim ſcripta, partim ex Apoſtolorum traditione delata & recepta, quæ UTRAQUE, ad pietatem, eandem vim habent. Eádem ergo Dialecticâ *Apologiſta* (pag. 87.) in *Baſilium*, quâ *Lutherus*, *Calvinus*, *Beza*, & ejusdē fermenti homines *disjunctivam* vocem Apoſtoli: *ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*, in dictionem *copulativam* verterunt; *per ſermonem ET epiſtolam:* cum tamen *Græca* (g) phraſis (ex *Arias Montano*) ſicut *vulgata* lectio, per disjunctivam, *SIVE*, ſententiam Pauli exprimat. Sicque, ut *Traditiones* vitent, *ſacram ſcripturam* corrumpunt.

Viribus tandem fractis, dimicare ſtatuit *Apologiſta*, ſomniatâ inter *Latinam* & *Græcam* Eccleſiam, ex ſacris *Traditionibus*, pugnâ. Abſit, ut propter ea quæ (pag. 87. 88.) allegat, audiatur inter Latinos & Græcos diſcordiâ; quam, ſi ob peccata utrorumque Deo permittente, in ſubſtantiali quodam religionis capite, debeamus ex utrisque veri Orthodoxi, non plenê ſedatam, oculis non ſiccis aſpicere: ob ritus tamen à tota Eccleſiâ approbatos, etſi diverſos, nemo *Græcus* aut *Latinus*, mente qui polleat, alium mutuô oppugnabit; ſed ſimul, *Reginam* (h) Chriſti ſponſam venerabundi magnificabimus, *aſtantem à dextris* (*ipſius*) *in veſtitu deaurato* (fidei), *circumdatam varietate* (in ritibus): cujus: omnis *gloria*, *Filiæ regis ab intus*, *in fimbris aureis* (dogmatum), *circumamicta varietatibus* (in Deo gratis moribus, & exercitiis.) De his, ſpero me, fuſiûs, intentâ pace, ut privatim non ſemel feci, tractaturum. Sed breviter *Apologiſtæ* reſponſurus, ab ipſo objecta percurram. *Græci* (ait) *in ſacrâ Euchariſtiâ panem Enzimum adhibent; Latini, panem Azimum.* Fateor. Sed legit nê hic *Jenenſis Doctor*, Catholicorum Latinum aliquem, qui, Græcam, conficiendæ ab ipſis Euchariſtiæ in *fermentato*, damnarit 18.

 Tra-

(g) Græcalectio. apud *Ariasmontanum*. (h) Pſ. 44. v. 10. 14.

Traditionē? Ad minutiorū tyronum ex nostris, eum, remitto doctrinam; dicet, peccare mortaliter Græcum conficientem in *azimo*, sicut Latinum qui in *fermentato*; non servatâ ab utroque *Traditione* ejusdem *Ecclesiæ*: & quamvis non defuerint Græci, qui contra Latinorum *azima* consecranda non pauca protulerint; Sapientes tamen, ritum non detestavere laudabilem. Loquatur pro Latinis Theologis *S. Thomas*: (i) *super hoc, sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim B. Gregorius in Registro: Romana Ecclesia offert azimos panes: propterea quod Dominus, sine ullâ commixtione suscepit carnem: sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Unde sicut peccat Præsbiter, in Ecclesiâ Latinorum, celebrans de pane fermentato; ita peccaret Præsbiter Græcus, in Ecclesia Græcorum, celebrans pane azimo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum* - - Et postquam *Azimorum* ritum commendasset, prossequitur - - *habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem; & propter significationem quam tangit Gregorius; & in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Evangelio miscebant. &c.* Ex Græcis (ne dicant *Lutherani*, Romanis addictos me quærere), *Theodorum* (k) *Balsamonem*, Latinis adversissimum, proferam: *opportet autem nosse* (ait) *Ebionem primum docuisse, solis Azimis sacrificari opportere, atque hoc primûm penes nos. Id, quod detestati qui tunc erant Patres, qui promiscuê panibus quoscumque habebant, sive Azimis, sive fermentatis sacrificabant, constituerunt, ut Nos in solo fermentato Eucharistiam & sacrificium perageremus: ut facto ipso damnarent impiam sententiam, ostendentes, & in fermentato confici Sanctissimū Servatoris nostri Dei sacrificium.* Tantûm abest, nê in hoc puncto, Latini ac Græci pugnemus; ut ex vero pane, Eucharistiam à Græcis

(i) S. Th: Aqu. 3. p. qu. 74. art. 4. in corp. (k) In can. 70. Apost.

cis in *fermentato* factâ, adoremus Latini; & in *Azimo* à Latinis, adorent Græci. Radicem disparis hujus ritus, credo tetigisse *Græcum Nicolaum* (l) *Comnenum Papadopoli*. Supponit, *Petro* ex *Antiochiâ Romam* translato, Græciam ex majori parte, fidem recepisse à *Paulo*; quod ex majori Epistolarum ad Græcos directarum numero conjicitur: edocti ergo à Christo Apostoli, *Eucharistiam* in *pane* fiendam, *de fide* scientes, alius in *Azimo*, alius in *fermentato*, & certiûs, quislibet in utroque, promiscuê sacrificavit. *Petrus* autem moribus *Judæorum* addictus, ob quos (in alia materia) reprehensionem (m) audivit à *Paulo*, *Azimos* retinuit, quibus usum *Christum* Latini conjicimus, quando (n) *Azimorum primâ die* cœnam instituit; *fermentato* etsi usum judicent Græci, quia *novum Pascha*, Christianis, in testamentum relinquebat: de quo, quia non necessario, nil indubiê credendum scripsere, aut tradidere Apostoli. *Paulus* è contra Christianæ libertatis à ceremoniis Judaicis amantissimus, cavens nê ex viciniori Judæa, aliquid in Græciam, Judaicæ legis tunc jam mortuæ subreperet; vidensque, *Ebionem* (sibi coætaneum) docentem, *ab anno in annum, in Azimis & aquâ tantûm*, debere celebrari sacrum illud mysterium, ut refert (o) S. *Epiphanius*; quo, sacrificium Christi tollebatur, & partim remanebat *Pascha* annuum Azimorum *Judaicum*: integrê azimis relictis, fermentatum prætulit, veluti æque aptam materiam. Inde (ut verbis (p) sapientissimi hujus Græci concludam:) *sanctissimê factum, utrinque, Maximorum Christianæ Reipublicæ Procerum* (Petri & Pauli) *authoritate, UT UNAM ECCLESIAM, DUPLEX RITUS AMICE DIVIDERET; Latinis in Azimo facientibus; sacrificantibus Græcis in fermen-*

(l) Respons. 3. mystagog. sect. 5. per totam, maximê num. 5. pag. 174. col. 2. (m) Gal. 2. 11. (n) Math. 26. 17. (o) Epiphan. hær. 30. & hær. 50. (p) Comnenus, ubi supra num. 5.

mentato: quo pateret, utrobique aptam tanto Misterio materiam esse, & NEQUE PAULI DISCIPULI, PETRI DISCIPULOS ACCUSARENT; NEQUE PAULI DISCIPULOS, PETRI DISCIPULI SPERNERENT.

19. Discipulos ergo *Lutheri, & Calvini*, pro hac, quam inter nos discipulos Apostolorum *Apologista* garrulat, pugnâ, pacificê interrogemus: Num ipsi, inter se, solis sacræ scripturæ testimoniis nixi, circa (sacram ab ipsis vocatam, sed superstitiosissimam sine veris Ministris) Cœnam, uniformes unquã convenerint? Potiùs *pugnas* quam *conventus*, dixerim, quotquot inter ipsos, *Marpurgi*, & *Flensburgi* an. 1529., *Tubingæ*, 1535., & alibi (*farraginosê*, se ipso teste) memorat (q) *Pfafius*: etsi enim *Wittenbergæ*, concordia, callidê per *Lutherum* & *Bucerum*, conficta fuerit, nunquam usque adeô, mutuô pungentes calami quieverunt. Negatâ *Traditâ*, & in scripturâ quasi expressâ veritate *TRANSUBSTANTIATIONIS*, in verbis Christi; *HOC EST CORPUS MEUM*: in somniandis erroribus unusquisque pugnat, & spumat velut arreptitius. *Calvinus* loquatur de *impanatione* Christi *Lutherana*; quod scilicet Christus realiter sit præsens in Eucharistiâ, sed in solo usu, quo peracto, & ore sumpto pane, Christus absit, nec in hostiis non sumptis remaneat. (r) *Isti* (Lutherani, ait Calvinus) *boni ejus zelotes, miraculum sibi fabricant, quo sublato, evanescit Deus cum suâ omnipotentiâ.* Et quid est (simplex *Apologista*) quod ex dispari ritu Latinorum & Græcorum circa panem, incertitudinem *Traditionum* inferas, quibus utrique utimur? Nonne jugulatur, inter vos, certitudo sacræ scripturæ, cui tantum dicitis omnes adniti, utentes vos *azimis* cum Latinis, clamante *Calvino* pro necessitate *fermentati*? Si

(q) Sæc. 16. cap. 3. §. 2. pag. 301. (r) Calvin. lib. 4. institut. cap. 17. §. 24. ap. *Arsdekin* Tom. 1. pag. 155.

Si argumentum formasti cui fidas, idem contra Sacram Scripturam, vel solvere nequis, vel contra Traditiones nil inferre concedes. In catechismo Lutheri, docet inferens *Cunradus* vester *Dietericus*, errare *Calvinistas*, circa Eucharistiam, in sequentibus - - 1. in (s) destruendis altaribus - - 2. in negatâ (t) Christi præsentiâ - - 3. in concedendo materiam Eucharistiæ non solum panem, (u) sed in hujus defectu, panem ex pulvere radicum & tostis asellis confectũ - - 4. in requisito - - (x) fermentato, si adsit - - 5. in nedum rejectis, (y) sed & blasphematis & vilipensis *hostiolis*, quibus Latini utimur. - - 6., in adstruendâ fractione panis necessariâ (z), ut fractionem corporis Christi in Cruce (quam tamen expressê non factam advertit *Ioannes 19. 36., ut scriptura adimpleretur: os non comminuetis ex eo)* representet; sine quâ ceremoniâ tanquam Sacramentum non fiat. - - 7. in necessitate sumendi quislibet panem de manu Pastoris, propriâ manu (a) ori admovendum - - 8. docendo, quod in septentrionalibus locis, deficiente vino, aqua (b) loco hujus adhibenda sit in sacrâ synnaxi. (Notatam hîc volo falsitatem dicentium *Innocentium* 8. permisisse *Norwegis*, ut quia vinum ibi non sit, si verò conducatur acescat, sub unicâ specie panis Sacramentum conficere: falsissimum enim est Papam in hoc dispensare posse; est enim de essentiâ Sacrificii mistica corporis à sanguine separatio, quæ sine pane & vino consecratis esse non potest: unde, etsi solus panis, aut vinum, vere consecrarentur, sacrificium tamen non esset, sicque peccaret Sacerdos, cum præceperit Christus ipse, sacrificio completo Eucharistiam fieri, dicens: *hoc facite in meam Commemorationẽ:* dicente adhuc Ecclesiâ Latinâ in Cano-

(s) Titulo *de Cœna Dominica*. Instit. 4. (t) Instit. 10. (u) Instit. 11. (x) Instit. 12. (y) Instit. 13. (z) Instit. 16. (a) Instit. 18. (b) Instit. 19.

ne ſacro Miſſæ: *Hæc*, in plurali, *quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quare, jam *Gelaſius* 1. in fine ſæculi 5. mandaverat obſervantiam, nê unquam Sacerdotes ſacrum Chriſti corpus conficerent ſine ſanguine, nec ulla conſecratio fieret extra Miſſam, de quo diffusê authores) - - Nonô (taxantur Calviniſtæ) quod (c) tropicê intelligenda Chriſti verba: *Hoc eſt Corpus meum*, aſſerant - - 10. Quia negant manducationem corporis Chriſti Sacramentalem. - 11. Quia, ſicut *Catholicos* per deſpectum apellant, *Transſubſtantianiſtas*; ita *Lutheranos* vocant (e) *Synuſiaſtas* & *Metuſiaſtas*, ſive *conſubſtantialiſtas*, quia Chriſtum cum panis *ſubſtantiâ* velint ſumere. -- 12. Quia indignos, (f) Seu modicæ fidei homines, non ſumere ullo modo Chriſti Corpus, ſed mera ſimbola, affirmant. 13. Tandem, quia in ſolo Eccleſiæ cœtu communicandum ſtatuentes, (g) *ægrotos*, *captivos*, & eos qui publicæ concioni intereſſe non poſſunt, Communione privant. - In his omnibus pugnatur, ab eis, qui firmam dicunt habere fidem in *ſacrâ ſcripturâ ſolâ* fundatam. Et, nê de pugnis inter hæreticos antiquis fiat tantum mentio; loquantur recentiſſimæ litteræ inter *Jacobitam* (ſic vocatum ob fidem ſervatam erga *Jacobum* 3. verum *Angliæ* regem, utinam ſic ſervaret fidem in Deum) & *LEIBNITIUM*; quas hic non transſcribo; gallicê autem integras ſicut exierant, obtulit nuperrimê *Pfaſius* (in ſupplemento 3. ad pag. 396. inſtitutionum juris Eccl. ad cap. 3. §. 12. pag. mihi 448.). Conqueritur *Jacobita*, *Georgium* Dominantem tunc in Angliâ indevotum futurum *Anglorum* Religioni, quam ſubſtantialiter à *Lutherana* & in quâ educatus, quam uſque tunc retinuerat, diverſam, amplecti reſolvit, *Lutheranâ* rejectâ ut *Angliæ* thronum capeſſeret: inde timet *Jacobita*, nê Eccleſiæ

An-

(c) Inſtit. 32. (d) Inſtit. 42. (e) Inſtit. 49. (f) Inſtit. 61. (g) Inſtit. 69.

Anglicanæ quædam alteratio contingat, ex inclinatione Dominantis ad fidem Lutheri, quam à biduô, ut Rex diceretur tantûm, dimiſerat. Duo ibi aſſignat differentiæ Capita: conſervationem gradus Epiſcopalis, quem *Angli* continuatum habere fingunt; & realẽ Chriſti præſentiã, quam ait *Jacobita* credere *Lutheranos* in Euchariſtiâ, ferè ſicut Nos quos vocat *Papiſtas* - - Reſponſurus *Leibnitius*, etſi frivolê; conatur oſtendere, Regem non mutaſſe *Religionem*, ſed *ritum*; eo quia (ait) confeſſionis Auguſtanæ articulus (10.) de cœna Domini, Anglicanæ fidei non opponitur, unde Rex non debuit mutare *Sententiã*, ſed *ritum*. Audiantur *Auguſtani* confeſſores: *docemus, quod corpus & ſanguis Chriſti VERE ADSINT, ET DISTRIBUANTUR VESCENTIBUS IN COENA DOMINI, ET IMPROBAMUS SECUS DOCENTES* - - *Verê eſſe*, & *verê non eſſe*, niſi bilinguis Eccleſia, quis concordaret? Facient in hoc, ſicut monſtrum illud (fictum à *Scoto*) biceps, cujus os unum nauſeam expreſſit de uno cibo, quod os aliud appetierat? *Scotus* duplicem non ſtatuit inde ventrem in monſtro, ſed duplicem animam: quomodo, recurrentes Anglos & Lutheranos ad diſputaturos Theologos, circa vel veram præſentiam, vel ſolum typum Chriſti, nê dicantur pugnare in dubio ſubſtantiali Religionis, ut cum pluribus Lutheranis affert *Leibnitius*; Religionem Calvino- Lutheranam dicemus unius ventris eſſe, ſed duplicis oris, quorum unum de præſentiâ Chriſti nauſeat, quæ alteri ſapit; indeque dicetur corpus duplicis Spiritus; ſed nullius à Deo, qui in unitatem fidei nos vocavit - - Cœtera quæ inſuſurrat *Apologiſta*, tum *de veneratione imaginum* pictarum, aut ſculptarum, ſuprâ, detectâ falſitate refellimus: tum de datâ inter Græcos communione ſub utráque ſpecie (in dignoſcendis reſponſis Patriarchæ *Hyeremiæ* ad *confeſſionem*

nem Augustanam) supra explicavimus. Et hæc pro nunc sufficient, de veneratis à Latinis ac Græcis SACRIS TRADITIONIBUS, SEU VERBO DEI NON SCRIPTO.

SECTIO VI.

1. CONfirmat Apologista Lutheranus (pag. 88.) ea quæ de inimicitiâ suorum cum Calvinistis supradiximus. *Calvinum* pugnaturum, relinquit cum ejusdem *sectatoribus*, *qui*, (ut ait) *si iis visum fuerit, causam ejus agere possunt.* Habet hîc *Moskuæ*, ex profugis è Gallia & Helveticis, gregulum, cujus hædi à *Javorschio* oppressi, vocibus *Berolinum* usque protensis, quasi à mercenario suo Pastore indefensi, inde petunt auxilium. Comperi, has *Lutheranorum simias* credentes *Buddeum* non fictum, sed verè à Lutheranis qui hic degunt, ab *Jenâ* conductum, pariter D.r *JABLONSKIUM*, *ex Poloniâ*, *Borussiæ Regis concionatorem*, eidem *à consiliis*, Academiæque scientiarum *Præsidem* siscitatos esse per litteras, quibus, remissis sibi operis *Javorskiani* fragmentis aliquibus, rogatur athleta iste ut in arenam descendat. Virum istum, ex *Arianorum* in *Poloniâ* reliquiis, (ibidem, *Fratribus Unitariis* dictis) taliter observatum est à viris doctis errores in corde servasse; ut pluribus prælo datis Germanicè (sunt 5. aut 6. in quarto) *Postillarum*, aut *Concionum* voluminibus; nunquam in eis, *Christum*, *DEum* apellet, sed *DEI Filium*; nunquamvê *Trinitatis* nomine utatur; quo etsi negativo argumento, conservatum *Arianismum* unde ipse prodiit, non modicum ostendit. Hinc, *Sacrorum Bibliorum* quoque typis datorum ejusdem curâ, exemplaria, ubi de novo Testamento eden-

edendo nec cogitavit, ejusdem notam cum Judæis amicitiam, ultra *Arianiſmum* protendi timent non pauci: quæ omnia, ſimulato *Calvinismo* cooperit, ut apud Regem gratiam conſervet. Cum igitur contra *Chriſtum* tendat *Calvini* Blaſphemia, libentiùs hunc fautorem nanciſcendum non dubito. Si ejus tantùm exſibilet calamus, ut quô ſors me duxerit echo perſonet; tenebor, non ſurdus, etiam ſibi meum (paratum) opponere; ſiquidem recommendatas mihi ipſi (per D. *Baronem Hüſſ*, ut per extraordinarium curſorem in *Hiſpaniam* à *Domino meo Legato* directum, conducerentur) epiſtolares inſtructiones, inſcius tunc eidem tradi curavi: unde, quia cautè inductus opem *Calviniſtis* contulerim pœnitebo minûs; ſi etiam ab iſtis, orthodoxa *Javorschii* nobíſque cum Ruthenâ & Græcâ totâ Eccleſiâ communia dogmata, tuear ampliûs: nec dubito, me monendum ex Ruſſiâ, quoties vel huic, vel alteri cuilibet etherodoxo poſſim occurrere, dum permittat DEus me ſaltem loqui. Sed ne in totûm de Lutheranis, in *Apologiſtâ*, Calviniſtæ conquerantur, ferè æquâ in utrisque culpâ, excuſabilem dicam hunc ne Calvinũ defenderit. - - Aggreditur hunc ita *Javorskius: verba Chriſti, quæ in Cruce protulit: DEus meus, DEUS meus* (vel *mi*) *cur me dereliquiſti? Lapides offenſionis fuerunt Joanni Calvino. Hinc non erubuit infelix* (*horreo hæc referens.* Ecquis non? dicam ego,) *Chriſto in Cruce moribundo deſperationem attribuere.* Sic explicavit indignus ille etiam Chriſtiani nomine, verba illa Sacræ Scripturæ: & hoc ſcribit intellexiſſe Apoſtolos per articulum ſymboli, *deſcendit ad inferos;* quod ſcilicet Chriſtus ità derelictus à DEO fuerit, ut *ipſius anima, dolores, ac deſperationem animarum damnatarum ſenſerit.* (Ita lib. 2. *inſtitutionum*, cap. 16. §. 8. 10. 11.

11.) Nedùm immemor, quod (a): *ſicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus: ſic erit Filius hominis in corde terræ*, id eſt, *in inferno*, ut cum totâ Eccleſiâ legit (b) *Hyeronimus*: aut, (c) *quod aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ:* ſed nec attendens, articulum *deſcenſus ad inferos* poſitum ab Apoſtolis, poſt *mortem*, & *ſepulturam*, ſicut *paſſum* eſſe & *crucifixum*, dicitur ſuo ordine ante *mortem*: unde, juxta *Calvini* blaſphemias, inferre poſſent *Judæi* & *Ethnici*, nos Chriſtianos DEum colere factum hominem, cujus anima, poſt mortem & ſepulturam corporis, cruciatus deſperationémque gehennalem ſuſtulerit; quod nec *Mahumedani* impunè audirent, qui (d) *JEſum Nazarenum*, (etſi DEum non fateantur) *ut Legislatorem & Prophetam magnum à DEO miſſum, agnoſcunt; adeò, ut Judæis Chriſtum blaſphemantibus, certus plagarum numerus loco pœnæ dictetur* ab ipſis. Fateor, non tantum audere *Lutheranos*, ſed nec parùm deficiunt in hoc articulo. Audiantur impugnare *Calvinum*. Articulum deſcenſus ad inferos. - *Alii de cruciatibus infernalibus* accipiunt & exponunt; ut *Calvinus* (loc. cit.) At *cruciatus iſtos Chriſtus ſentit ante mortem.* (Ita in *Catecheſi Lutheri*, *Cunradus Dietericus* inſtituit 7. tit. *de ſtatu exinanitionis.* pag. 301.): quibus verbis, ſi *cruciatus infernales*, de quibus loquitur *Calvinus*, intelligit; etiam *deſperationem* comprehendit, dicens, *iſtos ſentit Chriſtus ante mortem, non poſt mortem.* Parcatur *Catechiſtæ* quod malè ſe explicet, quia credo tale verè non intendiſſe, ſicut neque *Calvinum*, Chriſtū in deſperatione manſiſſe, poſt mortē in triduo illo quo ſtetit, & in in-

(a) Math. 12. 40. (b) Hyeron. in cap. 2. Jonæ. (c) Ephes. 4. 9. (d) Krommaierus Cent. 6. §. de ſtatu Eccl. in fine pag. 334.

inferis ejus anima resurrectionē distulit - - Errant tamē *Lutherani* negantes *Lymbum Sanctorum Patrum*, unde Christus eorum animas secum duxerit; etiamsi (e) *verè & realiter ad inferos descendisse* doceant - - *ut inferis, se victorem diaboli, inferni, &c. demonstraret.* Noluit itaque forsân *Apologista*, circa hunc *Calvini* articulum loqui, nê propriam culpam ostenderet - - Ex constanti Traditione Ecclesiæ tenemus cuncti *Orthodoxi* contrarium; & explicatur in confessione Orientalis Ecclesiæ: (f) *simul ereptas orco Sanctorum PP. animas, Paradiso* (Christus) *intulit, quibuscum, etiam Latronem qui in Cruce pendens in ipsum crediderat introduxit.* Quem locum justorum decedentium animis destinatum, ubi liberaturum Christum expectarent, agnovere, (g) *Jacob*, (h) ejusque *Filij*, (i) *David*, & clariûs *Ezechias* (k) eum apellans *inferi portas*, idest locum damnatorum inferno propinquum; *inquo*, *incarceratis spiritibus veniens* (Christus) *prædicavit* - - ut *Evangelizatus*, (idest ostensus) diceretur & *mortuis*, (ut docuit (l) *Petrus.*) Sic, post Apostolos, scripsere, (m) *Ignatius* & (n) *Hyeronimus*; triduoque apud inferos mansisse Christum cum Patribus, expressê asseruit (o) *Irenæus.* Neque eodem modo, ad damnatorum locum, limbumque puerorum (&, ut Latinis utar terminis, *Purgatorium*), descendisse Christum, sicut in Lymbum Patrum, explicant Theologi nostri, (cum *Sancto Thomâ* 3. p. qu. 52.) in istum etenim venit secundûm realem animæ ipsius cum Divinitate præsentiam, quomodo Patres illos suâ visione beasse, promiserat Christus Latroni (Luc. 23.) *Hodie mecum eris in Paradiso;* idest, in clara Dei visione, licet extra Empireum; ad

(e) Catech. Luth. tit. citato instit. 6. 7. (f) Parte 1. qu. 49. fol. 90. in fine. (g) Gen. 42. 38. (h) Gen. 44. 31. (i) Psal. 48. 19. & 15. 10. (k) Isa. 38. 10. (l) 1. Petr. 3. 19. & 4. 6. (m) Epist. ad Trallianos. (n) Hyeron. in cap. 4. ad Ephes. (o) Irenæus. lib. 5. cap. ultimo.

ad alia vero inferorum loca ſecundum quendam ſpecialem ſuæ virtutis effectum, quo, ipſius manifeſtaretur de morte mundo & inferno reportata victoria. Fateamur igitur Orthodoxê, Chriſti ante mortem tormenta, tum in Corpore, tum in *animâ*, quæ (p) *triſtis* fuit *usque ad mortem*; Sed quamvis legamus *vaditicê*, Chriſtum dicturum: (q) *dolores inferni circumdederunt me* - - (r) *pericula inferni invenerunt me*; horreamus Chriſtiani, quidquam damnatorum Chriſto tribuere, ſolamque vehementiam dolorum perfectiſſimæ animæ, & delicatiſſimi Corporis; *Spetioſi* inquam *Formâ præ Filiis hominum*, intelligamus; anathematizantes blasphemias impudentiſſimi & damnati illius *Calvini*, qui graviſſimum deſperationis gehennalis crimen, in Chriſto, inferre non horruit. Impeccabilis *Homo-Deus*; ſe *derelictum* in parte inferiori à juvamine Divinitatis, quæ poterat eandem impatibilem reddere, miratus inter mortis naturales anguſtias, cognitam in juſtitiâ Dei cauſam ſubaddit: (s) *Longê à ſalute meâ verba delictorum meorum*: ideſt, etſi non poſſim (t) *de peccato argui* - - *me*, (u) *qui non noveram peccatum*, pro hominibus, *peccatum fecit* (Deus;) & (x) *maledictum*, ut *penderem in ligno*: Decretum de meâ morte juſtum conſiderans; ut me, *Pater*, cognoſcas (y) *oblatum quia ipſe volui*: (z) *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Subſiſtat hinc juſtus contra *Calvinum*, *Javorskii* zelus; illiusque ſectator *D: JABLONSKIUS* (quisquis ſive fuerit) qui ejus tueri reſolvat blasphemiam, nedum *Orthodoxis*, ſed & *Lutheranis*, imò & *Mahumedanis* ipſis, execrandum ſe ſciat.

2. Signa itaque falſorum prophetarum, à *Javorskio Lutheranis* applicata, *Apologiſta* pro fine opuſculi retu-

ſu-

(p) Matth. 26. 38. (q) Pſal. 17. 6. (r) Pſal. 114. 3. (s) Pſal. 21. 1. (t) Joan. 8. 46. (u) 2. Cor. 5. 21. (x) Gal. 3. 13. (y) Iſa. 53. 7. (z) Luc. 23. 46.

ſurus, brevi nos ſermone iſtud claudere ſinet: ipſe etenim potiùs quam ſcribat, ineptit. Illa præveneraт Chriſtus Dominus, his verbis: (a) *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos:* eisdem ergo manifeſtari *Lutherum*, *Calvinum*, horumque ſequaces Prophetas falſiſſimos, ſole clariùs norunt Orthodoxi omnes. *A priori*, an ſcilicet miſſi fuerint, & à quibus; *concomitanter*, quibus ſcilicet utantur mediis; & *à poſteriori*, quibus ſcilicet potiamur eorum fructibus; dignoſcendi ſunt qui Prophetæ vel Evangelizantis officium ad proxímorum ſalutẽ ſortiuntur. Ea ſigna comprehendit brevi penicillo *Javorskius*; à quibus, longo calamo *Apologiſta* novos ſuos Hæreſiarchas liberare invanûm contendit. Quaſi ex utero Matris deſtinatum *Prophetam*, ejus diſcipulus *Kromaierus Lutherum* commemorat, (b) Scribens: *natus fuit hic Germanorum Propheta Islebii &c.* Abſit ut de tali Propheta glorietur *Germania*, nec enim ejusdem cuneus debet pro totâ ſupponere. Fatetur *Javorskius*, eum *Prophetam*, ſed *falſum* demonſtrat ex ſignis. Addam ego, Prophetam; ſed qualem cavit Deus (c) *Moyſi: qui ſomnium vidiſſe ſe dicat:* unde - - *Propheta* dicitur, ſed *ſomniator* eſt & *ſomniorum fictor* - - Satis quaſi dixerimus de Pſeudopropheta *Luthero* ejusque fictâ Eccleſiâ (ſupra ſectione 2.) poſſemus jam finem facere; ſed tamen aliquid dicturi, percurramus ſingula.

Primum ſignum Seductoris, *à priori*, *Javorskius* protulit; cum, *non miſſos* ab alio, ſicut (d) *Chriſtus à Patre*, *Apoſtoli* (e) à *Chriſto*, cæterique ab *Apoſtolis*, eorumque ſucceſſoribus: (*quomodo* (f) enim *prædicabunt* 4.

 niſi

(a) Matth. 7. 15. (b) Krommaierus. Cent. 16. §. de ſtatu Eccleſiæ. pag. 570. (c) Deuter. 13. 1. 3. 5. (d) Iſa. 61. 1. Joan. 3. 17. &c. (e) Matth. ult. 19. (f) Rom. 10. 15.

nisi mittantur ?): sed *proprio motu, perversis suis doctrinis venientes* dixit, *Archi-Rabinos Lutherum & Calvinum, à quibus omnes hæreses nostri ævi provenerunt &c.* Hinc *Apologista* chimericê infert (pag. 89.), *Javorskium ex Romanensium* & *Jesuiticæ Societatis Scholâ*, *prodiisse*; quasi (juxta supra dicta) & *Græci*, & *Rutheni*, & inter Latinos orthodoxos cœteri præter Jesuitas, non idem semper docuerint; sed nê ex Patriarcha *Hyeremiâ*, *Joanne Basilides*, *Mogilâ*, *Adriano*, cœterisque qui *Jesuitas* nec noverant, eadem repetamus, respondeat iterum licet ineptiat - - Unde *Calvinistæ* prodierunt? Si orthodoxis scriptoribus non creditur, Lutheranum produco. *Krommaierus*, (g) postquam *Corruptionem sacræ scripturæ*, *Judaicis glossis*, *Calvino* objecit; librumque *Ægidii Hunnii*, cujus titulus *Calvinus Judaizans*, narravit, subbaddit: *Id nimirum egerunt isti homines* (ideſt reformati Calvinistæ) *invidiæ veneno afflati, ut cum viderent Lutherum ob opus reformationis, immortalitatis albo nomen suum inscripsisse, ipsius honori detraherent; & sibi ascensum, tanti viri ruinâ, compararent.* Idem (pag. 587.) antea dixerat: errant *Calviniani*, *qui primas in reformationis negotio, authoritate Lutheri ubique oppressâ, Zvinglio transcribunt; Lutherus siquidem, opus reformationis, biennio antea cœpit.* Diffideant inter se, quænam ex sectis eorum præcesserit aliam, anve doctrina unius, an invidia, genuerit illam? Quia si nulla, alterius dici se velit Filiam, ambas dicemus *Satanæ* gemellas - - Unde *Anabaptistæ*? *Witemberga* respondebit, exiliasse *Nicolaum Storkium* (h) quia lectâ *Lutheri* epistolâ ad *Waldenses* (in qua scribit, satius esse baptismum differi parvulorum, quam illis sine fi-

(g) Cent. 16. pag. 191. (h) Vide Petrum Annat. in apparatu. tom. 2. lib. 7. art. 8. pag. 369. & ex etherodoxis, Kromaicrum, historia centuriæ 16. per totam.

fide conferri, dicente Christo: (i) *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit &c.*), revelationes ab Archangelo Michaele habitas jactans, libertatemque Evangelicam persuadens, rebaptizare cœperit: Hinc tanta vesparum & tabanorum acies quantã hystorici nulli silent: *Muntzeriani*, *à Muntzerio*, ex Sacerdote Catholico in *Thuringiâ*, in *Lutheranismum* Lapso, unde Enthusiastam agere didicit: *Adamitæ* recentiores: *Baculares*, arma illicita, solumque baculum portandum docentes: *Clancularii*, seu *Fratres hortenses*, qui, *clam* profitendam fidem; & *Manifestarii*, qui econtra, publicê docebant: *Sabbatarii*, Judaizantes in festo: *Dæmoniaci*, dæmones salvandos in fine credentes: *Communiaci*, qui etiam uxores & liberos comũnes præcipiebant: & cœteri: nec *Poligamistas* omittam: qui omnes, *ex Anabaptistis*, erroribus antiquis novos addentes, gloriantur *Lutheri* nepotes. -- Unde *Sacramentarii*? Socium *Lutheri* aluit *Witemberga Carolstadium Archidiaconum*, qui, prior illo, publicê uxore sumptâ, cœlibatus polluit votum; & ex Familiari *Lutherique* socio, circa Sacramentalem Christi præsentiam Antipoda, tot reliquit Lutheranis plangendos profugos, quot *Anti-Lutheranos* vocant, Evangelicorum quoque retento nomine; quorum classes, *Significativos*, *Tropistas*, *Energicos*, qui tropum energiamque verborum Christi *hoc est &c.* explicantes, signum tantûm Christi corporis docent in pane; *Arrhabonarios*, qui, in pane Christi pignus; & *Adessenarios*, qui, *adesse* quidem fatenrur in hostiâ *Christum*; sed alii, *in*, sicut farina in pastillo (unde dicti *pastillarii* quatuordecim illi Lutherani Pastores in *Suetiâ*, duce *Brentio*); alii, *cum*; alii *circa*; alii, *sub* pane; quorum tandem tot sunt sensus quot capita: omnes hos inquam *Lutherani* recognoscunt *Filios*, etsi devios -- Unde *Adiapho-*

(i) Marci 16. 16.

phoristæ, nisi ex *Wittemberga*? - - Unde *Confessionistæ*? Unde *Protestantes*? *QUACKERI*? cœterorumque etherodoxorum sequutus stolus Luciferi? *Wittembergæ*, in *Luthero* hæc cœpit progenies; quam in *Germaniæ* parte, *Daniâ*, *Svetiâ*, *Borussiâ*, *Helvetiâ*, & alibi sparsam; integram fovent hydram *Anglia* & *Hollandia*.

5. Quod *refutari nequeant ex scripturâ Sacrâ* horum omnium *dogmata*; aut, *ipsos in errore esse* convinci, ut *Apologista* subinnuit (pag. 89. & 90.); eáque propter, ad defectum necessariæ *missionis Luthero* objiciendum nos moveri; non diceret, si notasset, *Javorskium* (& omnes Catholicos similiter,) cuncta 11. dogmata à se explicata, ex scripturâ sacrâ, adhibito vero Divinæ *Traditionis* sensu, deducere. De *Lutheri* vero hæresi, credo Filios ejusdem dicturos, non comprehendi in *falsorum Prophetarum signis* quæ sibi *Javorskius* allegat; quia *Christus Lutherum* expresŝê hæreticum non nominavit: quâ ratione decipi potiûs *Judas* potuit, audiens se vocari ab osculato Christo, (k) *amicum*. Pudeat in tam crassam superbiam plura dicere. Cuncta siquidem, quæ usque ad pag. 107., Apologista, pro tuendâ vocatione Divinâ Lutheri ad reformandam Ecclesiam, repetit; quia scilicet, *membrum illius fuerit*; quod *Doctorem* eum & *Professorem Theologiæ Witemberga* destinaverit, & alia; potuerunt dicere quotquot hæretici in Ecclesiâ Dei fuerunt. Primum, non ego, sed *Joannes* jam solvit, de hæreticis dicens: (l) *ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniã non sunt omnes ex nobis*: quæ si pro *Luthero* ejusque sequacibus scripta non sunt, ut Lutherani contendent; quærenda manet ab ipsis in Scripturâ, Lutheri exceptio, ut ipse, *Calvinus*, & reliqui, qui *ex nobis*

(k) Math. 26. 50. (l) 1. Joan. 2. 19.

nobis prodierunt, *ex nobis* (orthodoxis) *essent*, & membra Ecclesiæ, quamvis *non permansissent* nobiscũ. Secundũ de *Wittembergæ Doctoratu*, irridendũ ruit. Duplici authoritate, *Ecclesiasticâ* & *civili*, potiuntur *Universitates* quas scimus. Has, *Germaniam*, usque ad sæculi quartodecimi annũ 46. non novisse, testatur (m) *Krommaierus* : *Wittembergensem* ipso sæculo sextodecimo de novo fundatam, scribit (n) *Pfasius*, quasi Luthero connatam. Num ad istam habitum fuerit *Pontificis Romani* diploma, ut sicut aliæ, authoritate Ecclesiasticâ gradibus Conferendis muniretur, verê nescio: numvê, in ipsâ Doctoratus dandâ laureâ, Professio fidei Romanæ, sicut in reliquis Accademiis Latinis, expetita cum juramento fuerit, vix credo; imò nec de fide aliquâ curasse conjicio, legens in *Krommajero* ipso, hanc Academã ita volubilẽ, ut vix *Luthero* mortuo, Academiam scribat, ope *Melanctonis*, (o) *infectam Calvinismo* (sicut *totum Palatinatum*) & *fascinatam*; mortuo etsi *Christiano 1. Electore*, ad *Lutheranismum* refugam. Quisnam igitur sani Capitis scriptor, datâ etiam *Witembergensi Academiæ* Ecclesiasticâ authoritate, dubitabit, eâdem expoliari posse (cum *ejusdem sit tollere*, *cujus est condere*, in vulgari satis proverbio) ob hæresum amplexum? cunctosque, quos Universitates, per Privilegium *à Romanâ Ecclesiâ* participatum (aliâs *Civilem*, non *Canonicam* authoritatem haberet) Doctoratu insigniunt, posse à *Romanâ Sede*, omni privilegio privari, si ipso ostendantur indigni? Imò, hæreticos, omni gradu ipso facto privatos & excomunicatos, Ecclesiam decrevisse semper, compertum est & indubitabile; quos *devitandos* nos edocuit (p) *Paulus*, & nec salutandos adhûc, (q) *Joannes*. Permissâ igitur ritâ Lutheri vocatione, sic fortiûs arguo:

(m) Cent. 14. in fine pag. 535. (n) Sæc. 16. infine, pag. 308. (o) Krommaierus cent. 16. pag. 380. & 381. (p) Tit. 3. 10. - - - (q) 2. Joan. v. 10.

guo: Ergo fuit justê vocatus, quia Ecclesia, & Universitas Romanæ adhuc Sedi subdita, eum, Sacerdotio & gradu donaverant. Quidni, hac ipsum suspendente & damnante, etiã suspensum ritê dicamus, quem hac approbante ritè fatebamur evectum? Et, siquidem in *Doctoratu* sibi dato versamur, cunctos *Witembergæ* etiam futuros Doctores advoco, ut (indoctus etsi) an gradum Doctoratus meruerit examinem; ad quem suscipiendum, si scientia non sibi defuit; ut eodem exauthoraretur, consequens malitia superabundavit. Vel legerat *Lutherus* (non ex hominum Cathedrâ Doctorem Catholicum, sed ex Divinâ) *Moysen*, dicentem: (r) *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum; sed OMNE QUOD PROMISIT, implebit*; idemque repeti à (s) *Davide*, (t) *Salomone*, & aliis; vel non? Si primum, quali malitiâ nupsit *Catharinæ à Boren*, qui ambo per *votum* se Domino mancipaverant? Si secundum, quali Laureâ decorandus erat, qui nec sciret Divinam legem? Scio non defuturos, qui *indeliberatum*, unde non adimplendum, *Lutheri* votum objicient. Sed his reassumo medium: Quænam, rogo, dabitur ratio, ut *deliberatum* dicamus *Matrimonium* quod dixit contrahere, non autem *votum*, quod nemine cogente decrevit emittere? *Deliberatum votum*, in verâ Theologiâ, facit, præcedens *notitia Juris & facti*; & hanc dicent *Witembergenses* defuisse *Luthero*? Tale nunquam concedet *Academia Erfurtensis*, quæ (*Kromaiero* (u) teste) priùs sibi *Magisterii gradum* dederat, quam *Augustinianorum Religio* ipsius *votum* in *Monachatu* reciperet; nec fatebuntur ipsius collegæ, majorem eundem habuisse commercii *matrimonialis* notitiam ex praxi impudi-

(r) Num. 30. 3. (s) Psal. 75. 12. (t) Eccles. 5. 3. (u) Kromaierus cent. 16. in ejus vita, pag. 571.

pudicâ ante *Matrimonium*, quam caſtitatis habendæ ante emiſſam Religioſam Profeſſionem; nê cogantur, ipſum vocantes *Prophetam*, concedere impudiciſſimum peccatorem. Et quid moramur? Etiamſi in Profeſſione defectus ignorantiæ adfuiſſet, factus poſtea Præsbiter, & *Witembergæ* oraculum, in clauſtro permanens, nonne votum probarent cuncti poſtea ratihabitum? Si hæc, ex S. ſcripturâ, enervare Lutherani velint, corrumpentes Apoſtoli verba: (x) *numquid non habemus poteſtatem, mulierem SOROREM circumducendi*; & ſcribentes, *UXOREM*, *ut votum ſuperſtitioſum* dicant *Monaſticum*: mendacem facient *Paulum* ipſum, antea dicentem: (y) *dico autem non nuptis, & viduis; bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut ego* (ideſt ab uxore liber, & in cœlibatu): ſuperſtitioſamque blasphemare non dubitabunt piam illam *Annam Prophetiſſam* laudatam in *Evangelio*; quia *proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſuâ: & hæc vidua uſque ad annos octuaginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus, ſerviens, nocte ac die*: ſicque, damnatos in carne una binos illos Apoſtatas *Lutherum* & *Catharinam* negabunt ſcribenti itidem *Paulo*: (a) *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Quia tamen *Apologiſtam* valde cruciat (pag. 104. 6.
ſeq.) quod *Lutheranos* & *Calviniſtas*, *Mahumedanis non meliores*, protulerit *Javorskius*: hunc mitiorem me noſcat; quia juſtior ego, eosdem probabo *pejores*. Nec primus ero, ſed ſequar (b) *Hyeronimum*, *quoſcumque infideles* impietate ſuperari ab *hæreticis*, ſcribentem. Quod ut Theologicê explicem, *S. Thomam*, (c) noſtrum Doctorem Angelicum, ferê transſcribam. Tres ſpecies infidelita-

(x) 1. Cor. 9. 5. (y) 1. Cor. 7. 8. (z) Luc. 2. 36. & 37. (a) 1. Tim. 5. 12. (b) Hyeron. in cap. 18. *Iſaia.* (c) S. Thom. Aqu. 2. 2æ. qu. 10. ar. 5. & 6.

litatis ſupponimus cuncti; *Paganiſmum*, *Judaiſmum*, & *Hæreſim*; quatenûs, vel reijcitur fides Chriſtiana non *recepta*, quomodo vocatur *Paganiſmus* ſeu *Gentilitas*; *vel recepta*, ſed *in figurâ*, ſicut continetur in ſacro veteri Teſt. quomodo eſt *Judaiſmus*; vel *recepta in veritate*, quomodo eſt *Hæreſis*. Has inter, eſſentialiter in malitiâ æquales, hoc diſcrimen admittimus, quod *Paganiſmus* peccat in pluribus quam *Judaiſmus*; & iſte, quam *Hæreſis*; Sed attentâ oppoſitione ad veritatem Divinam, graviſſimum omnium peccatum eſt *Hæreſis*; graviorque *Judaiſmus Paganiſmo*. Gravius quippe eſt deficere à veritate in figurà & umbrâ ſuſceptâ, quam ab eádem non habitâ; graviſſimumque, ab eádem manifeſtê receptâ recedere: hincque ſuo ordine, triplex infidelitas, in *Paganis* eſt mala; in *Judeis*, *pejor*; & in *Hæreticis*, peſſima. Sicut ergo *Chriſoſtomus*, (d) pluribus, infidelitatem *Judaicam* præ *Paganis* exaggerat; ita *Hæreticalem*, præ *Judeis* dicimus & probamus graviſſimam; de quâ dixit proculdubiô Petrus: (e) *meliûs erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam, poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Non negabo igitur, plura erronea docuiſſe *Mahumedum*, ſed majori ſcelere, dicam, defeciſſe *Lutherum*, hæreticis ferê omnibus nequiorem. Ecquis verebitur aſſerere, Hæreticos Mahumedanis valde pejores? *Cum pejor ſit utique* (ait *Auguſtinus* Lib. 21. de civ. Dei cap. 25. n. 3.) *deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus; quam ille qui nunquam deſeruit, quam nunquam tenuit.*

7. Secundô adducitur à *Jarvorskio*, ſignum concomitans falſorum Prophetarum in *Lutheranis*; quod *Apologiſta* (à pag. 107. ad 118.) conatur in vanum eludere. Iſtud eſt: quod *latam aperuerint vitæ humanæ viam.* *Je-*

(d) Homilia 50. ad populum Antioch. (e) 2. Petr. 2. 21.

Jejunia abrogaverint. Bona opera ad salutẽ necessaria rejecerint. Pœnitentiam & mortificationem carnis, tanquam quid fabulosum habuerint. Cœlibatum, & voluntariam paupertatem deriserint. Virginitatem impossibilem dixerint. Indê rationem sumendam, ait, quod tot populos in suas partes pertraxerint, & perverterint. Num hoc, exclamat, *Apostolatus vestri miraculum? O! Apostolos seu potiùs Apostatas, & adversarios Sanctæ Ecclesiæ!* Hæc in integrum repetii, quia verissima, *Lutheranorum* doctrinis & factis comprobata, quæ solûm negata, putat Apologista soluta. De *jejuniis* quid doceant, supra vidimus (Sect. 3.) De *bonis operibus*, audet *Apologista* (hîc.) suam dicere, Doctrinam *Pauli* (Rom. 3. 20.) & *Petri* (Act. 15. 11.) quam sic explicat pag. 109.: *bona opera non esse necessaria, ut æternam salutem consequamur.* Quis blasphemum hoc sufferet in Apostolos ludibrium, dicente *Paulo*: (f) *non auditores* (ideſt credentes, quia, *fides ex auditu*) *justi sunt apud Deum, Sed FACTORES LEGIS JUSTIFICABUNTUR*: ideſt *legis Christi*, de quà loquitur de futuro? - Et - - (g) *Si habuero omnem fidem, itaut mentes transferam; CHARITATEM autem non habuero, nihil sum? Petro* quoque scribente; (h) *satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis?* Ecquid docturi erant Apostoli, nisi quod sæpiùs à Christo audierant: (i) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed, qui facit voluntatem Patris mei*, &c.? Etsi autẽ dicat Apologista, prædicta necessaria, quid aliud quam manifestam contradictionem explicat? *esse* scilicet *& non esse* necessaria: *solam fidem* nos justificare; sine bonis operibus verô justos non esse: Quod, quis capiet, nisi, *Fidem*, quá creditur, cum *Charitate*, quâ operamur, confundat? Scimus: (k) *sine fide, impossibi-*

(f) Rom. 2. 13. (g) 1. Cor. 13. 2. (h) 2. Petr. 1. 10. (i) Matth. 7. 21. (k) Hebr. 11. 6.

ſibile eſſe placere Deo; Sed quoque, credere oportet; - - quod *inquirentibus ſe remunerator eſt*. Scimus, opera quæcumque humana, nil habitura meriti ex ſeipſis; ſed quoque ſcimus, valorari eadem *Chriſti* merito, (l) *per quem gratia & veritas eſt facta*; quia Deus ipſe noſtræ juſtitiæ author, eam per opera noſtra dandam, non ſolâ fide, decrevit. Quod ſi *fidem vivam*, *Apologiſta* repetit, jam opera (*ſine* (m) *quibus mortua eſt*) in Conferendâ gratiâ, neceſſaria faſſus, ex hæreticali protherviâ *charitatem meritoriam* negat; cujus opera, ex *Dei gratiâ* quoque efficimus, cum (n) *non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*. Nec *Javorskius* aſſerit abſolutê, Lutheranos, bona opera rejeciſſe; ſed, hoc addiſcituros homines ex ſuâ doctrinâ de operibus non neceſſariis, & juſtificatione per ſolam fidem; quod poſtea clarê explicavit, ut *Apologiſta* translatum dat in initio, (pag. 7.) *Quid enim ſequitur ex hac impiâ Doctrinâ? Hoc ſequitur; trucida, furare, adulterari &c. - - tantùm crede, fides in Chriſtum ſola ſalvat*. Ideô, *Georgium Saxoniæ Ducem*, dixiſſe, : *hæc Doctrina non eſt pro viventibus, ſed pro morientibus*; indêque præveniſſe *Pfaſium*, ejusdem *Lutheranam Eccleſiam, non poſſe non in pejus abire, & tandem in COETUM MALIGNANTIUM degenerare*, quia *Diſciplina Eccleſiaſtica* in totùm ab eâdem fuerit pulſa; jam ſupra tetigimus (Sect. 2.). Cœtera, quæ, de *cælibatu, virginitateque* impoſſibili, *Pœnitentià* (non *Sacramento*, ſed *virtute*) objecta ſibi, *Apologiſta* commemorat; eàdem cenſurâ digna ſunt, ac, quæ in generali *de bonis operibus* dixerat.

8. In Sacerrimum tandem *Jeſuiticæ Societatis* cœtum, Religioſiſſimumque Ordinem debacchatus, putat *Apologiſta*, ſe ſatisfeciſſe *Javorskio* (à pag. 114. ad 118.) illius-

(l) Joan. 1. 17. (m) Jabobi 2. 26. (n) 2. Cor. 3. 5.

usque *ſtudium erga Romanam Eccleſiam ; illoſque qui præcipuam hujus partem conſtituunt Jeſuitarum Societati adſcriptos, demonſtratum* à ſe ſcribit. *Glorioſiſſimam* hanc *Societatem* nunquam non novi, ſed ex quo hæreticorum noſtri temporis, tum ſcripta plura vidiſſe, tum audiſſe in eam rabidas horum voces, mihi contigit, Venerabiliorem probavi. *Præcipuam Romanæ Eccleſiæ partem* (ut ais mi *Apologiſta*) Sacra *Jeſu Societas* non conſtituit ; ſed inter cœtus Religioſos nec infima, Eccleſiam, ſicut cœteri Sacri Ordines, exornat. Hanc, (ut Sect. 1. dixi) Lutheri ætate ortam, & ad hunc finem ; quid miraris, quod in evertendis veſtris dogmatibus ; & Scriptoribus, & Miſſionarjis, indefeſſa, in ruinam veſtrorum errorum adlaboret, indéque clareſcat? Si cum eis clamatis, qui de *JEſu* conqueſti, dicebant ei : (o) *veniſti hûc ante tempus torquere nos ;* quâ penà digni ſitis, data in eos à *Chriſto*, declarat ſententia. Fallitur certè ſtudium veſtrum in *Societatem* debellandam : impoſſibile hoc tentantes, ſcitote, quod, pro Chriſti fide tuendâ : (p) *ſi hi tacuerint* (Jeſu Socii,) *Lapides clamabunt.* Quod ut noſcatis verum : ubi Jeſuitæ in *Ruſſiâ* deſunt, quando conamini hanc ſeducere, ultra *petram fidei*, quæ pro *Javorskio* loquitur, clamat *Dominicanus* hic, paulò æſtimatior lapillulo, quem, luſura Divina ſapientia (ſicut (q) *ludit de orbe terrarum*) jecit in *Ruſſiam.* Pudeat cunctos vos, calumnias apud ignaros confingere ; plûsque Te, *Apologiſta* ; qui, *ex Romanæ Eccleſiæ addictis, viris doctis, & egregiis*, oſtenſurus (ut ais) *Jeſuitarum dogmata omnem vitæ Chriſtianæ rationem evertentia* ; unum prodis, cujus nomen ipſe tu neſcis ; quem, ipſe *Janſeniſtam* faſſus, teneris à Romanâ Eccleſiâ noviſſe proſcriptum. Æquê tu, ac ille, ſtupidus ; imò tu amplius, qui, celante illo proprium, nomen tu-

(o) Math. 8. 29. (p) Luc. 19. 40. (q) Prov. 8. 31.

tuum præfixeris illius ineptiis: ſed neque te *Buddeũ* credo, cui, ob parem tibi oſtenſam in vitâ malitiam, putas minus detraxiſſe poſt mortem. *Jeſuitarum dogmata*, ais cum illo? Ergo (liceat mihi inferre) quidquid privatus veſtrorum homo (in moralibus adhûc) judicat, pro *dogmate* habetur à vobis omnibus? Scio à nemine concedendum, nê ſupra relatas ſingulares à *Luthero* ortas hæreſes, cujusvis *Lutherani* dicerem proprias. *Dogmata* profitentur *Jeſuitæ*, quæ cœteri Catholici; quæ non privatus homo, vel cœtus, condit, ſed hi quibus authoritatem Chriſtus ipſe contulit. *Opinionem* inter diſputantes Scholaſticê profert quisquam; quæ, ſi contingat proferri erroneam, authorem non facit hæreticum, qui cenſuræ Eccleſiæ obſequuturus, illã docet & tenet; ſicut *Auguſtinus* ſcribit (epiſt. 162.) *ſi qui falsã & perverſam ſententiam, nullá pertinaci animoſitate defendant, & parati ſint corrigi, & totâ ſollicitudine quærant veritatem, non ſunt inter hæreticos deputandi.* Sicut (lib. 4. de Baptismo contra *Donatum*) quendam hominem ſupponens, ſentientem de *Chriſto*, ſicut ſentiebat *Photinus* Sirmienſis Epiſcopus (qui *Chriſtum* purum hominem docuit), *iſtum* (ait) *nondum hæreticum dico* (ſi exiſtimet ſeductus ab alio, hanc eſſe Catholicam fidem) *niſi manifeſtatá ſibi doctriná Catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit*: . Hoc ſecundum, non *Jeſuitis*, ſed *Lutheranis* ſcripſit; quibus, (lib. 18. de Civit. DEI. cap. 5.) addidit: *illi qui in Eccleſiá pravum aliquid morbidumque ſentiunt, ſi correpti ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque PESTIFERA, ET MORTIFERA DOGMATA emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, fiunt Hæretici.* Hinc; pugnatur in Scholis, ut ab Eccleſiá recipienda veritas plûs clareſcat; quis enim ex *Jeſuitis* omnia ſciviſſe præſumpſit? Nec igitur diffitebor, plures

So-

Societatis Scriptores erraſſe in aliquo; numquid illud, ſi Eccleſia deteſtetur, *Jeſuitarum Societatē* tueri vidimus unquam?

Sed quia *Apologiſta*, ut Jeſuitis exprobret, innominatum *Janſeniſtam*, é cujus fonte bibit, adducit; miſerrimum inquam hominem, qui *Janſenii*, & *Salisburgenſis* Theologi *Wendrochii* doctrinas reſuſcitat; de *Parallelo* illo Doctrinæ Jeſuitarum & Paganorum, breviter non nihil dicamus. Ignorantiam *invincibilem* á peccato excuſare, *Jeſuitæ* docuere nê primi? Id didicére á *S. Thoma*: (r) dicente ad fidem recipiendam Apoſtolo; (s) *quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt?* Hinc, ſi quidam ex *Jeſuitis*, in deſignatá, ubi eſſe nequit, *invincibili ignorantiá*, erraverint (ut in citato *Parallelo*. cap. 1. 2. & 3. innuitur, & *Apologiſta* hic recitat) error iſte *Jeſuitarum* aut *Romanenſium dogma* dicendus erit? Item: dolorem ſupernaturalē de peccatis ob meritam gehennæ pœnam, (quem *attritionem* vocant Theologi) ſufficere, ut homo, ad ſupremum doloris ob Deum dilectum gradum non pertingens, *in Sacramento Pœnitentiæ* juſtificetur; inceperunt nê Jeſuitæ defendere? (in hoc Paralleli author caput 4. conſumit totum). Idem æquivalentibus terminis docent Græci, in *Confeſſione Orientalis Eccleſiæ*: (t) *neceſſe eſt, habere pœnitentem, contritionem cordis, ſeriumque de admiſſis noxis dolorem, QUEIS DEI IRAM LACESSIVIT.* Id ante *Jeſuitas* certê docuerat *Auguſtinus*, (u) ſentiens, volentem baptizari, *nê* (ſicut audivit & legit) *vadat cum Diabolo in infernum*, baptizandum eſſe, cumque Baptiſmo juſtum futurum, diſpoſitum tali non omnino perfectá præparatione ad gratiam. 9.

 Idem

(r) Tum. 1. 2æ qu. 76. art. 3. tum Quodlibeto. 8. art. 13. (s) Rom. 10. 14. (t) Parte 1. qu. 113. fol. 178. (u) Aug. lib. de Catechizandis rudibus, cap. 17.

Idemq; repetit *S. Thomas*; (x) quod, æque ac pro *baptiſmo*, intelligendum eſt in *pœnitentiâ*. Id explicavit *Tridentina* (y) *Synodus*, *Catechiſmus Romanus* juſſu *Pii V.* editus; id tandem, adhûc à *Janſeniſtis* negatum in *Galliâ*, gravi in iſtos latâ cenſurâ, expreſſit *Pariſienſis* alma *Facultas*, die 1. *Julii*, 1638. Quid ergò, quod erga contritionē alitèr docētes erraverint, ſive *Jeſuitæ*, ſive alii fuerint? Quid tandē, quod citatus *Wendrochius*, (a) & ex illo novi hæretici, ob *probabiliſmum Jeſuitis* falsò attributum, ipſos laxam doctrinam moralem introduxiſſe, ſuadeant? Legatur, Reverendiſſimi ejusdem *Societatis Jeſu* Præpoſiti *Generalis*, *Thyrſi Gonzalez*, ſapientiâ refertus liber, anno 1694. luci datus; in cujus *Proœmio*, num. 7. & ſequ. hanc in Religiosâ *Jeſu Societate* notam vindicaturus, probat contrarium; imò primos probabilitatis hujus impugnatores ex *Jeſuitica* familiâ prodiiſſe; quodque, (n. 46.) ex Theologis *Jeſuitarum* interrogatis, diſtinctiûs, num liceat ſequi in praxi opinionem probabilem minus tutam, in concurſu tutioris, & probabilioris? reſpondebunt plures negativè, & ferè omnes. His evidentiſſimis Orthodoxiſſimæ *Jeſu Societatis* teſtimoniis, ſi oblatrent rurſus Etherodoxiæ catuli, quidam ore publico, quidam etiam nomine non oſtenſo, è malignitatis latibulis, quid dicendum reſtet ultra, neſciò, Sapientiſſimis viris. Tantum: (b) *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum*, (nedum Jeſuitæ,) *omnes, qui ſperatis in Domino* - - *Beati*, enim, *eritis, cum vos oderint homines* (tales) *& exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis* - - *Væ!* etenim, *vobis, cum benedixerint vobis; ſecundùm hæc, enim, faciebant pſeudoprophetis Patres eorum.*

10. Ad aliud objectum à *Javorskio* falſorum propheta-

(x) In 40. diſt. 6. qu. 1. art. 3. ad 5. (y) Seſſ. 14. cap. 4. (z) Parte 2. c. 5. (a) *Diſſertat.* vel *appendice* de probabilitate, ap. litteras Provinciales *Ludovici Montaltii.* (b) Pſal. 30. 25. (c) Luc. 6. 22. & 26.

tarum ſignum : *pellis eſt ovina, quâ ſe tegunt ; ſi de fide prædicant ; fide ſolâ Chriſtianum ſalvari,&c. ſed lupi ſunt rapaces ; dum hac pietatis ſpecie, omnibus peccatis portas aperiunt. Quid enim ex hac impiâ doctrinâ ſequitur? Hoc: trucida furare,&c.* Quid additurus erat Apologiſta ? Nihil. Idem (à pag. 118. ad 128.) repetit ; hanc eſſe *Doctrinam Petri, & Pauli*, indeque, blasphemi *Javorskium* arguit, quia *Apoſtolorum* doctrinam dixerit *impiam*. O! blasphemum potius hunc dicamus ! Qui docentes Apoſtolos (Act. 10. 43. & Gal. 11. 16.) legem veterem jam *evacuatam*, nec jam aptam ad captandam à Deo juſtitiam ; ſolâ fide juſtificari homines, docuiſſe dicat. Repetamus quoque ſibi ; ſolos eos juſtificandos, qui *fidem in Chriſtum* habent, & *ſpem* (quam nominare nolens, vocat *fiduciam* ;) ſed non per iſtud tantum, niſi addatur *charitas* effectiva operum ad merendam gratiam apud Deum. Hocque ſenſiſſe *Clementem Romanum*, & *Baſilium*, quos allegat, imò SS. PP. cunctos, oſtendit Catholicus quislibet, quod neque, ſpeciali de bonis operibns tractatu, omiſit *Javorskius*. Ut autem videatur ; ex *hac impia doctrina* de ſola fide juſtificante, ſicut à Lutheranis traditur, quid ſequatur ; teſtis mihi erit, R. P. Fr. *Hieronymus Braun Viennenſis*, apud *D. Reſidentē Cæſareū*, nunc *Moskuæ* Sacellanus. Hic, *Dantiſci*, anno 1724., cum *Moskuam* pergeret, Templum Lutheranorum ingreſſus, audivit taliter concionantem illorum Paſtorem. *Thema* propoſuit (ex cap. 19. Math. & 18. Lucæ) reſponſionem *Chriſti* datam interroganti : *quid faciendo vitam æternam poſſidebo ? - - Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Horreo, quomodo Anti-Evangelicus ille exorſus fuerit, dicere ! *Stultæ interrogationi* (cœpit,) dari opportebat *ſtultum reſponſum*. Audierat hic homo, milliês, Chriſtum docentem juſtificationem per fidem ; moleſtus tamen & qua-

quasi de hoc dubitans, adhuc interrogat: respondetur sibi igitur tanquam stulto: *Serva mandata* - - & quia stultiûs secundò siscitatur impertinens, ideò Christus addidit (v.22. Luc.18.;) *adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Est ne impia, Doctores Lutherani, ista doctrina? Respondebitis, non approbare fatuitatem Pastoris. Sed Pastor replicabit; ex *Lutheri* doctrinâ de *sola fide* justificante, inferri. Deducite ipsi vos, num *Javorskius* vocans eam *impiam*, justè loquatur; siquidem, *Apologista* dicet *Pastorem* vestrum dixisse justè, scribens, quod *Javorskius* loquatur *ineptè*. Cætera quæ ipse tangit, fidem certè *necessariam* probant, minimé justificare sine charitate suadent: ideò his prætermissis, alia quæ addit *Javorskius* examinemus.

11. Conqueritur item Apologista, (pag.128.) sibi scribi: *Pellem ovinam præseferunt, dum Evangelio, seu læto de Christo nuntio gloriantur; sed lupi sunt rapaces, dum novum quoddam Evangelium, non autem vetus illud, à sanctis Patribus, Generalibus Consiliis, & totâ Orthodoxâ Catholicâ Ecclesiâ receptum, annuntiant.* Non Evangelii tantũ, sed de cujuslibet libri sacri corruptione, *Javorskius* loquitur. Satis esset, ad probandum non habere Evangelium Ecclesiæ, ostendisse quod Lutherani & Calvinistæ rejiciant, circa illud, verum datum ab Ecclesiâ sensum. Sed ampliûs ostendatur corruptio. Noñe, ly, *Hoc est corpus meum.* (Luc. 22.) legunt sectarii plures; explicantque omnes: *Hîc est corpus meum?* Nonnè Calvinus (Joan. 6. v. 50.,) loco: *Ego sum panis vivus*, legit, *vivificans?* Nonnè (Rom. 3. 28.,) *arbitramur justificari per fidem, sine operibus legis*, addit sua authoritate Lutherus: *Per SOLAM fidem?* Sicut (2.Pet. 1. v. 10.,) *satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram, & electio-*

ctionem faciatis; delevit ipse, ly, *per bona opera?* Nonnê (Hebr. 13. 4.) *honorabile connubium in omnibus* (ideſt, nil in ipſo non honorabile), legitis omnes: *honorabile connubium omnium?* ſicque impoſſibile ſuadetis omnibus *cælibatum*? Cœtera, quæ collegere plures, omitto, pluris ſiquidem nec tempus ſinit dicere; nec opus eſt ad corruptionem veſtram probandam, ampliûs, quam (juxta ſacram ipſam Chriſti Doctrinam (Math. 5. 18.) defectus in *jota uno*, aut in minimo apice. Vobis ergo, qui *Evangelicorum* retento nomine gloriamini, dicamus cum *Auguſtino* (lib. 13. contra *Fauſtum* cap. 3.): *qui in Evangelio, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, potiûs vobis, quàm Evangelio creditis* - - - De *imaginibus* item, licet quidquam *Apologiſta* hîc renovet, ſatis jam (Sect. 4.) ſupradiximus.

Signum (Tandem) *à poſteriori*: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, obijcit *Javorskius*: quod, publicis & notiſſimis ſcandalis Lutheri confirmat. Hæc, quisquis velit, ex à nobis dictis, & ex Hiſtoricis, ſciet. Et ſiquidem *Apologiſta*, illum, *ſanctiſſimos viros* inter collocandum, etſi nævorum non expertem (pag. 133.) pronuntiat: *Javorskiumque* addentem, *totus Orbis vaferrima Lutheri facta novit*, rurſus (pag. 135.) interrogat: *Quænam? Si viri ſunt amici Javorskii, doceant, quænam iſta fuerint?* Eadem audiat meo abbreviata calamo; nê, *nullibi* ſcribat *extare, quàm in Javorskii cerebro.* *Homo vorax, & potator vini*, oſtenditur in ordinario ejusdem vitreo vaſe, ammemorabiliter (tanquam *Prophetæ* reliquiâ) ſervato, ampullis ferê binis nec implendo, quod offert ſpectatoribus *Wittemberga* - - *Carnaliſſimus*; dum ſe Deo devotum, *Veneri* mancipaverit -- *Superbus*, cũ Sanctos Eccleſiæ Patres nihilô duxit - - *Rebellis Matri* Eccleſiæ; cujus vocibus, ſive blandientibus, ſive minitantibus, ſpretis, eidem,

 ma-

mæstitiam tot perditorum Filiorum intulit. *Zizania* tandem nocentior, quam *inimicus superseminavit* in Ecclesiæ *agro* Diabolus; cujus decursu temporis multiplicata genimina, solas paleas *igni inextinguibili* protulerunt. Sed quid putamus? Omnia ista suscipit Apologista hîc defendenda; & ut credo, si ea salvare non possit, neganda. Cuncta pro nihilo reputabunt *Lutherani*, qui, *Solâ fide*, & hac non verâ, sed *corruptâ* propriâ, salvari hominem docent. Quid sperandum de viris, qui nedum convicti, sed & declarati ab Ecclesiâ hæretici, ipsos *jure* declarandi Orthodoxos hæreticos, sicut ait *Apologista*, potiri scribunt? Sic miratur horum cœcitatē mundus totus, ut ait *Javorskius*, quæ luci claudit oculos, ut illudant cœci videntibus.

Hinc, vitandam istorum Sodalitatem, maximê rudibus, conclusurus suasit *Resanensis* ille *Prælatus*. Quod, si ex procuratis *Moskuæ*, & alibi in *Rusiâ* seductionibus, probare possem, volumen accresceret, quod teneor claudere opusculum. Unum hoc dicam; quod me quoque, à præsenti *Javorskii* Catholicorumque dogmatū defensione, etherodoxi *Moskuæ* degentes novissimê cogitaverunt retrahere: proponentes mihi, in *Lapide* seu Petrâ fidei, quam retundere *Buddeus* decreverat, non deesse plura contra *Romanam Ecclesiam*; circa *Communionem sub utraque specie*, quâ Græci utuntur; & circa *Purgatorium*, quod contra nos Græci non fatentur. Sed in vanum ocultandam ipsorum calliditatem putarunt: respondi siquidem: Rudior ergo esset *Buddeus* (quisve sit alius) in *Apologiâ*; quam sicut inceperat finit; arguens, ex ejusdem opere, *Romanis addictum* ostendi, *Ruthenosque Romanæ Ecclesiæ uniri* procurasse *Javorskiū*. Nil iste scripsit contra *Confessionis Orientalis Ecclesiæ* doctrinā, & piam *Ruthenæ Ecclesiæ* praxim ac *Græcorū*: à quibus, orationes & quo-

quotidiana ſuffragia pro mortuis offeruntur; crediturque in Eccleſiâ totâ, *ſacrificio Euchariſtiæ*, *eleemoſinis*, *piisque viventium operibus* liberari animas defunctorum *ab Orci clauſtris*: Quo confeſſo (parte 1. qu. 64. fol. 107.), in rè, idem ab utrâque Eccleſiâ creditur: cum enim circa locum materialem animarum quæ æternæ damnationi non ſubſunt, nil definitum ſit ab Eccleſiâ; nil ad nos, quod ſuffragio offerendo, apelletur ipſarũ locus, in Occidente *Purgatorium*, & in Oriente *Orcus*, aut à Ruthenis *Mytarskuo*, ideſt *Telonium*, vel locus reddendæ rationi ſpiritualium mercium deſtinatus; ſicut eum vocat ibidem prælaudatus *Javorskius*: cum utrobique proſcribatur *Lutherana*, negans pro mortuis ſuffragia, *Hæreſis* - - Quantûm ad *Communionẽ ſub utraque ſpecie* attinet, jam ſatis (Sect. 1.) ſupra explicuimus, nec Romanam Eccleſiam non venerari Græcæ communionis ritum; nec Græcam Romanum ſpernere morem. Totum Chriſtum *Transſubſtantiatum* veneramur in qualibet ex panis & vini ſpeciebus, cuncti. Nec ordinando Græco ſacerdoti, poſt manuum impoſitionem, tradit Epiſcopus, in altari, aliud quâm Patenam cum conſecrato jam Pane; quâ amborum manibus ſimul & diû retentâ, admonitionem Paſtoralem illi dirigit, ut ego ipſe aſſiſtens vidi: quod neutiquâm Græci facerent, ſi non crederent *totũ*, & *ſolũ* Chriſtũ in Sacro Pane. Nec horrere Græcos communionem à Latinis ſub unà ſpecie ſumere, diximus ibidem ex fidedigno *Goario*: nec in defectu Latinorum Miniſtrorum, ſacram Euchariſtiam, in neceſſitatis caſu, Latinus ſumens à Græcis ſub duplici ſpecie redargueretur à nobis; imò ad id teneri docent non pauci: ſicut, *Sacerdotem* Latinum (itemque *Diaconum*), celebranti Græco Orthodoxo cum Græcis aliis, poſſe ſolemniter in altari aſſiſtere, cumque ipſis, & eorum more communicare, & legi, & ſic

ſentio, & approbarem in facto. Contra hoc, certê nil ſcripſit *Javorskius*, etſi ſub unà ſpecie Communionem, inter Græcos (de quorum ipſe loquitur ritu, & pro illis) defectuoſam, & culpabilem dixerit, quia morem ab Eccleſiâ approbatum & laudandū inverteret. Hoc debetur Latinis hæreticis, Chriſtū non transſubſtantiari docentibus (indeque, Chriſtū, ſub ſpecie unà negantibus): quod ut Orthodoxê crederetur ab omnibus, in unicâ communicari præceptum juſtiſſimê fuit, exceptis Sacrificantibus. Qui prædictus error cum inter Græcos non invaluerit, manſit inter ipſos & laudatur à nobis eorundem retentus Ritus.

Deſinite ergo Lutherani, pietatis avitæ tenaciſſimum Ruthenum populum, fraudibus conari ſeducere: eô plus enim invanûm fructum ſperabitis, quô plura, veſtris deliriis explicandis, volumina ſpargitis. Jam Gens iſta vos novit, quales apud *Paulum* vos legimus (2. Tim. 3. à v. 2. ad 9.): *Homines* (illi eſtis) *ſeipſos amantes* (præ ſacris Eccleſiæ Doctoribus), *Cupidi, elati, ſuperbi, blasphæmi, parentibus* (ſpiritualibus) *non obedientes, ingrati* (Chriſti Eccleſiæ), *ſceleſti. Sine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate; Proditores* (Evangelii, ſicut in *Chriſtum* alius, oſculo), *protervi, tumidi; & VOLUPTATUM AMATORES MAGIS QUAM DEI. Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. - - Et hos devita* (audit *Ruthenus*, ſicut *Timotheus.*) Et nê de reportando exultetis triumpho, eosdem confortat *Paulus: quemadmodum Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi; ita & hi,* (*Calvinus, Lutherus,* eorumque ſoboles) *reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. SED ULTRA NON PROFICIENT, INSIPIENTIA ENIM EORUM MANIFESTA ERIT OMNIBUS.*

A M E N.

Completum eſt, Moskuæ, triduô ante hinc diſceſſum, 28. Novembris 1730.